DE

NONNULLARUM PARTICULARUM

APUD

ANTIPHONTEM

USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HENRICUS SCHÄFER

CALCARENSIS.

GOTTINGAE MDCCCLXXVII.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

MATRI CARISSIMAE

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

Priusquam ad ipsam rem, quam nobis proposuimus, aggredimur, pauca, quae nostra de codicum antiphonteorum fide sententia sit, praemittenda sunt. Nam haud paucis huius dissertationis locis multum valebit, utrum codicis oxoniensis (N) lectionibus eam tribuamus fidem, quam Maetznerus, Frankius, Blassius, an Sauppii maxime sententiam sequamur, qui ea, quae oxoniensis peculiaria eademque vera habeat, ab homine docto et ingenioso orta esse docuit (cf. Sauppii quaestiones antiphonteae, quae continentur in indice scholarum Georgiae Augustae 1861 p. 4 sqq.) Sane haec quaestio difficillima est ad dijudicandum, neque eam solvere nostrum esse potest. Itaque id tantum dicimus, in dies magis Sauppii sententiam nobis comprobari. Quae cum ita sint, locos, quos allaturi sumus, editionem turicensem secuti citabimus.

Praeterea de via ac ratione quibus usi commentationem nostram instituturi sumus, haec dicenda sunt. Cum et tetralogiarum, quae vocantur, et orationis primae (*κατηγορία φαρμακείας κατὰ μητρυιᾶς*) origo atque auctoritas a multis eisdemque doctissimis hominibus valde in dubitationem vocata sit, has orationes tractatione complecti et eodem modo de ceteris orationibus, quas omnes fere Antiphonti vindicant, una comprehensione agere volumus.

Caput I.

De particula τέ

Particulae τέ apud Gracos usum non omnibus temporibus et apud omnes scriptores eundem fuisse satis constat. Videmus enim tamquam oculis, quomodo eius particulae provincia, ut ita dicam, comminuatur atque attenuetur. Nam cum apud Homerum et antiquissimos poetas particula duplici modo usurpata inveniatur, atque ita quidem, ut aut aliis quibusdam vocibus adjungatur aut bis vel semel posita vim copulativam habeat, apud posteriorum temporum scriptores prius illud genus tam plane evanescit, ut parva tantum ruina tamquam latioris usus monumentum relicta sit, posterius autem valde comminutum est eo, quod particularum τέ—τέ locum plerumque particulae τέ—καί conjunctae obtinent et particula τέ semel posita raro tantum invenitur. Cuius mutationis aliqua pars in variis orationibus antiphonteis nobis apparet, quod primus Spengelius, qui de orationibus antiphonteis emendandis optime meritus est, vidit atque dixit in septimo decimo musei rhenani volumine p. 167. Sed pauca illa verba prorsus non sufficiunt ad rem accurate cognosceodam, itaque nova eius rei commentatio haud supervacanea sit.

Particula τέ in ea verborum conjunctione, quam tamquam latioris usus monumentum ad posteriorum temporum scriptores transiisse iam supra diximus, dico de verbis οἷόν τε εἶναι, ὥστε, ἐφ' ᾧτε, ἅτε, quae sunt similia, in tetralogiis et in oratione prima nisi quater in ὥστε (Aβ 2, Bγ 5, Γγ 6, I, 13) et praeterea semel in formula illa οἷόν τε εἶναι (I, 8) non invenitur.

Frequentissima autem in tetralogiis particularum τέ—τέ conjunctio antiquissimorum temporum speciem efficit. Nam cum ab Homero particulae τέ—τέ saepissime usurpatae sint, apud optimos sermonis attici scriptores omnino fere evenauerunt atque particulis τέ—καί conjunctis compensantur. Invenimus autem particulis τέ—τέ conjuncta et singula verba et enunciati membra et ipsa enunciata. Primi vero generis

haec sunt exempla: Aα 9 *Ἐξελεγχόμενος δ' ὑπό τε τῶν εἰκότων ὑπό τε τῶν παραγενομένων.* Habemus in hoc exemplo vulgarem verborum collocationem; nam quamquam particulae ex ipsa rei natura verba, quae conjungunt, sequuntur (ut Homeri illud *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε*), tamen semper, cum illis verbis praepositio aliqua vel articulus additus est, particula *τέ* inter praepositionem et articulum vel inter articulum et nomen locum habet. Similiter legimus: *Aγ* 3 *ὅτε φόβος ἥτε ἀδικία* et paulo post *ὅτε κίνδυνος ἥ τε αἰσχύνη.* In his tribus exemplis eam verborum collocationem videmus, ut verba, quae conjunguntur, nullo alio verbo interposito sese excipiant. Quae vulgaris collocatio etiam in his verbis invenitur: Bβ 10 *ἀπολυόμενος δὲ ὑπό τε τῆς ἀληθείας τῶν πραχθέντων ὑπό τε τοῦ νόμου*; nam verba *ἡ ἀλήθεια τῶν πραχθέντων* unam efficiunt notionem. Uno autem loco Antiphon verba, quae conjungere vult, ita collocat, ut verbum, quod ad ambo pertineat, interponat: Bα 1 *ὑπό τε τοῦ νόμου κατακέκριται ὑπό τε τῶν ψηφισαμένων.* Quin etiam majore spatio interposito verba conjungit: Aδ 1 *Ἰδοὺ ἐγὼ τῇ τε ἀτυχίᾳ, ἣν οὐ δικαίως αἰτιῶμαι, ὡς οὗτοί φασιν, ἑκὼν ἐμαυτὸν ἐγχειρίζω, τῇ τε τούτων ἔχθρᾳ.* Eodem modo ut duo verba particula *τέ* bis repetita, etiam tria ter posita conjungit, cuius generis duo pulcherrima exempla deinceps leguntur *Γγ* 2. Saepius inveniuntur loci, in quibus duo enunciati membra particulis *τέ—τέ* conjuncta sunt, quo in genere dicendi particula plerumque secundum membri locum obtinet aut ea verba, quae, quamquam tota membra particulis conjunguntur, tamen prae ceteris verbis, his particulis efferantur, sequitur. Sed permulti loci ita sunt comparati, ut ea verba, quae premantur, primum membri locum obtineant. Ita legimus Aα 7 *ἥ τε γὰρ ἐπιθυμία τῆς τιμωρίας ἀμνήμονα τῶν κινδύνων καθίστη αὐτόν, ὅτε φόβος* sqq. Praeterea cf. Aδ 10 (bis); Bβ 11; Bγ 7; Bγ 9; *Γδ* 9; Aβ 7; Bβ 10 (bis); Bγ 12; *Γβ* 9; *Γγ* 1; *Γδ* 6; Aα 3: *τό τ' ἀσέβημα ἡμέτερον γίγνεται, τῆς θ' ὑμετέρας ἁμαρτίας ἡ ποινή* sqq. hoc exemplum huc referendum est, nam verba *τῆς ὑμετέρας ἁμαρτίας ἡ ποινή* unius notionis vim habent. Omnia haec exempla praeclarissime scriptoris usum ostendunt. Sed non semper ita ea verba, quae sibi respondent, in initio

enunciati ponit; nam interdum id, quod ad duo membra aeque pertinet, praemittit, ut: Aβ2 *ἐμοὶ δὲ ζῶν τε ἄνθρωπος — ἀποθανών τε* sqq. Aδ3 *ἵνα ἐκ παντὸς τρόπου τούτους τε ἐπιβουλεύοντάς μοι ἐμαυτόν τε ἀπολυόμενον ἐπιδείξω.* Tum cf. Bβ1; *Γα* 7; *Γδ* 3;

Eodem modo legimus in oratione prima § 18 *μακρότερος λόγος ἂν εἴη ἐμοί τε διηγήσασθαι ὑμῖν τ' ἀκοῦσαι.* Praeterea in oratione prima particulae *τέ — τέ* conjunctae nullo loco inveniuntur.

Omnia, quae enumeravi exempla, ita sunt comparata, ut particulae *τέ — τέ* ad duo maxime verba spectent. Quibus exemplis pauca addi possunt, in quibus particulae non tam ad singula verba, quam ad totam membrorum sententiam pertinent: Aβ 11 *οἱ δὲ διώκοντες τῆς τε ἀφορίας αἴτιοι γίγνονται ὑμᾶς τε ἀσεβεῖς εἰς τοὺς θεοὺς πείθοντες καταστῆναι* sqq. *Γβ* 7 *ἐπιβουλεύοντες τά τε νόμιμα συγχέουσι, φονεῖς τε μου γίγνονται.* Paulum ab his exemplis recedunt verba Aβ 3 *ἔκ τε γὰρ αὐτοῦ τοῦ ἔργου φανερὸς γενόμενος ἀπωλλύμην λαθών τε σαφῶς ᾔδειν τήνδε τὴν ὑποψίαν* sqq. Nam quamquam verba *φανερός* et *λαθών* sibi respondere in aperto est, tamen particula *τε* vocem *φανερός* non sequitur sed in initio enunciati posita est tamquam comes particulae *γάρ* ut in altero exemplo *Γα* 2 *ὅ τε γὰρ θεὸς βουλόμενος ποιῆσαι τὸ ἀνθρώπινον γένος τοὺς πρῶτον γενομένους ἔφυσεν ἡμῶν, τροφέας τε παρέδωκε τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν.* Remota enim est particula *τέ* a verbo *ἔφυσεν*, quod respondet verbis *τροφέας παρέδωκε.* Praeterea Maetznerus particulas *τέ—τέ* non ad singula verba sed ad universas sententias pertinere putat in his verbis *Γδ* 10 *ὅ τε γὰρ ἀποκτείνας τοῦ ἀποθανόντος οὐδὲν ἧσσον τοῖς αἰτίοις προστρόπαιός ἐστιν, οὗτός τε ἀνοσίως διαφθαρεὶς διπλάσιον καθίστησι τὸ μίασμα τῶν ἀλιτηρίων τοῖς ἀποκτείνασιν αὐτόν.* Sed rectius de hoc loco egerunt Sauppius (epistola critica ad Godofredum Hermannum p. 53 et 138) et Briglebius (cf. zur Kritik des Antiphon, progr. gymnasii Anclamensis 1861 p. 11) quorum hominum conjecturis locus, quem corruptum esse omnes fere consentiunt, hoc modo bene restitutus est: *ὅ τε γὰρ ἀποκτείνας τούτου* (Saupp.) *ἀποθανόντος οὐδὲν ἧττον τοῖς αἰτίοις προστρόπαιόν* (cum cod. A. Saupp.) *ἐστιν, οὗτος τε ἀνοσίως διαφθαρεὶς διπλάσιον καθίστησι τὸ μήνιμα* (Brigl.) *τῶν ἀλιτηρίων τοῖς ἀποκτείνασιν αὐτόν.*

Cum adhuc facillime intelligi potuerit, quomodo verba vel enunciati membra particulis *τέ — τέ* conjuncta sibi respondeant, jam ad id Antiphontis dicendi genus, quo usus tota enunciata particulis illis conjungit, transeuntes, nonnunquam accuratius videre debemus, ne verborum nexus nos fugiat. Ita accusator alterius accusationis initium his verbis facit Aγ 1 *ἥ τε ἀτυχία ἀδικεῖται ὑπ' αὐτοῦ* sqq. *ὑπό τε ὑμῶν οὐκ ἄξιος ἐλεεῖσθαί ἐστιν,* quae verba respondent verbis accusati sub finem apologiae *Δβ* 13 *δέομαι δ'ὑμῶν ἐλεήσαντας τὴν ἀτυχίαν μου ἰατροὺς γενέσθαι αὐτῆς. Δα* 10 *Οἵ τε γὰρ ἐπιβουλεύοντες ἀνεξέλεγκτοι ἂν εἴησαν, εἰ* sqq. *ἀσύμφορόν θ' ὑμῖν ἐστί* sqq. Haec duo enunciata causam verborum, quae antecedunt, *ἐξελεγχόμενος δ'ὑπό τε τῶν εἰκότων ὑπό τε τῶν παραγενομένων οὐδενὶ τρόπῳ οὔτε δικαίως οὔτε συμφερόντως ἀπολύοιτ' ἂν ὑφ' ὑμῶν*, continent; nam prius enunciatum explicat verbum *δικαίως*, alterum vero *συμφερόντως*. Facillime intelliguntur verba Aβ 10; Bγ 2. Quod vero attinet ad verba *Γα* 3 *ὅτε γὰρ ἀποθανὼν ὑπολείπει τὴν τῶν ἀλιτηρίων δυσμένειαν ἥν* sqq. *ἡμεῖς τε οἱ τιμωροὶ τῶν διεφθαρμένων* sqq. consentio cum Spengelio, qui demonstravit, (m. rh. XVII p. 169), quo modo haec enunciata arctissime cohaereant. (cf. quoque Bβ 11). Atque alius locus huc pertinet in quo Sauppius in editione sua justo jure offendisse mihi videtur. Praebent enim codd. Aα 7 *ἤλπιζέ τε τάδε μὲν δράσας καὶ λήσειν ἀποκτείνας αὐτὸν καὶ ἀποφεύξεσθαι τὴν γραφήν. ουδὲ γὰρ ἐπεξιέναι οὐδένα αλλ' ἐρήμην αὐτὴν ἔσεσθαι· εἴ τε καὶ ἁλοίη* sqq. Sauppius proposuit mutationem particulae *τέ* in *δέ*. Sed, quamquam mihi quoque verba *ἤλπιζέ τε τάδε μὲν δράσας* non recte tradita esse videntur, tamen cum Sauppio de mutatione particulae *τέ* consentire non possum; nam haec duo enunciata *ἤλπιζέ τε* sqq. et *εἴ τε καὶ ἁλοίη* sqq. causam verborum, quae antecedunt, *ἥ τε ἐπιθυμία τῆς τιμωρίας ἀμνήμονα τῶν κινδύνων καθίστη αὐτόν, ὅτε φόβος τῶν ἐπιφερομένων κακῶν ἐκπλήσσων θερμότερον ἐπιχειρεῖν ἐπῆρεν,* continent. Ut vero illa membra *ἥ τε ἐπιθυμία — ὅτε φόβος* sqq. particulis *τέ — τέ* arctissime conjuncta sunt, ita haec quoque verba optime illis particulis conjunguntur. Tum vero, si particula *τέ* post *ἤλπιζε* posita non ad superiora verba sed

ad verba εἴ τε καὶ ἀλοίη pertinet, desideratur particula, qua haec verba cum verbis, quae antecedunt, conjungantur. Quare, si nobiscum reputamus, et in his verbis causam superiorum verborum inesse et saepissime apud Antiphonten in enunciatorum initio particulas τέ et γάρ esse conjunctas, conjectura ἤλπιζέ τε γάρ haud inepta esse videatur. Quomodo autem particula γάρ ante τάδε excidere potuerit propter literarum similitudinem facile intelligitur. Si vero ἤλπιζέ τε γάρ scriptum esse ponimus altera verborum difficultas haud difficile tolli potest. Nam quid sibi velit particula μέν post τάδε non intelligo (cf. p. 36). Itaque de hoc loco ita judicandum esse puto: scripsit Antiphon ἤλπιζέ τε γὰρ τάδε δράσας; postquam vero propter literarum similitudinem γὰρ ante τάδε excidit, librarius quidam, qui particulam τέ ad superiora spectare putabat, addidit particulam μέν post τάδε, ut indicaret, haec verba spectare ad ea, quae sequerentur.

Attuli omnes locos, qui ex codicum fide particularum τέ — τέ conjunctionem praebent. Sed clarissimorum illorum hominum, qui optime de Antiphontis orationibus meriti sunt, arte emendandi nonnullis locis conjunctio illa restituta est. Jam Reiskius optime conjecit Γβ 6 ἀπολυόμενος δὲ ὑπό τε τοῦ νόμου ὑπό τε τοῦ ἄρξαντος, quae conjectura omnibus uno Maetznero excepto probatur. Et Blassius in editione ex Antiphontis genere dicendi optime scripsit Aα 10 εἴς (τε) τὰ τεμένη τῶν θεῶν εἰσιόντα — ἐπί τε τὰς αὐτὰς τραπέζας ἰόντα. Et Γγ 7 ἡμεῖς δέ τόν (τε) θάνατον — τήν τε πληγήν — τόν τε νόμον. Minus vero viri doctissimi conjectura mihi placet Aδ 11 ὑπέρ (τε) ἐμαυτοῦ ἐπισκήπτω αἰδεῖσθαι sqq. ὑπέρ τε τοῦ ἀποθανόντος; nam ibi codicum lectio ὑπὲρ ἐμαυτοῦ ἐπισκήπτω αἰδεῖσθαι sqq. ὑπὲρ δὲ τοῦ ἀποθανόντος sqq. bene se habere mihi videtur. Aliorum locorum emendatio Spengelio debetur. (cf. m. rh. 17 p. 168). Aδ 1 τῇ (θ')ὑμετέρᾳ γνώμῃ τῇ τε ἀληθείᾳ. Et Bβ 6 οἵ τε γὰρ ἁμαρτάνοντες — οἵ (τε) ἑκούσιόν τι δρῶντες. Bβ 8 τό (τε) ἔργον οὐχ ἡμέτερον τό τε πάθος. Paulo gravior est Spengelii conjectura (cf. m. rh. 13 p. 231 et quae Sauppius de hoc loco dicit ep. cr. p. 71) Aδ 10 τὰ δέ τ' εἰκότα τά τ' ἄλλα cum codices (Z M exceptis) legant τά δὲ εἰκότα ἄλλα. Tamen non possum non cum

eo de hac verborum mutatione consentire. Nam verba, quae sequuntur, ὅ τε γὰρ καταμαρτυρῶν sqq. et de eo genere, quod dicitur τὰ εἰκότα, et de alio genere agunt; nam prima illa verba nullo modo ad vocem εἰκότα referri possunt. Restant codicum verba Αδ 7 ἀκινδύνως τε οὗτος γε μέλλων μαρτυρεῖν οὐδὲν θαυμαστὸν ἔπαθεν ὑπὸ τῶν κυρίων sqq. ἐγώ τε ἀνόσι' ἂν πάσχοιμι sqq. Hoc loco sine ulla dubitatione cum Reiskio, Spengelio, Blassio particula γέ post οὗτος in τέ mutanda est, ut sibi respondeant οὗτος τε — ἐγώ τε. Tum vero remanet prima particula τέ post ἀκινδύνως, cui altera particula τέ non respondet. Itaque aut sumendum est, particula τέ haec verba cum superioribus conjungi, aut cum Reiskio et Blassio particula in δέ mutari debet. Utrum vero nobis placeat, de nova illa quaestione, ad quam jam transire debemus, quomodo particula τέ semel posita in tetralogiis usurpata sit, pendet.

Cum jam ex illis conjecturis, quae supra mihi afferendae erant, facile intelligi possit, codicum fidem, quod attinet ad particulam τέ, haud esse magnam, haec nova quaestio eam de codicibus sententiam prorsus non in meliorem partem mutat. Codex N praebet Αβ 1 ἐάν τέ τις ἄλλῃ (quod recepit Blassius); ceteri codices ἐὰν δέ τις, quod retinendum est. Αβ 11 Codex N habet ὑμᾶς τε ἀσεβεῖς τε quorum verborum altera particula τέ omnino explicari non potest. Αβ 12 Optimorum codicum (A N B) lectio est ἐμὲ δὲ ἔκ τε τῶν προειργασμένων γνώσεσθε, quae verba ita legi nullo modo possunt; aut particula τέ delenda est, aut verba quaedam, quae illis verbis ἔκ τε τῶν προειργασμένων respondeant, supplenda sunt. Utrum vero faciendum sit, de ea re homines docti dissentiunt. Ego puto, particulam τέ esse omittendam; nam futurum verbi tempus γνώσεσθε spectat ad ea verba, quae sequuntur, et ea omnia, quae reus in illis verbis enumerat, pertinent ad unam vocem προειργασμένα. Quae Maetznerus ut codicum lectionem defenderet, attulit, mihi non probantur; dixit autem in commentariis suis p. 159: „vereor ne ab oratore uberius de rebus suis atque moribus exponente suppressa sint quae menti eius obversarentur καὶ ἐκ τῆς νῦν ἀπολογίας ἀναίτιον ὄντα γνώσεσθε vel simile quid“. Sed contra hanc sententiam orationis genus pugnat. Nam in tetralogiis explicandis vel emendan-

dis id semper cogitandum est, orationes illas exercitationis causa, non ad usum forensem esse scriptas. Accedit vero, quod eorum exemplorum, quae ad sententiam suam confirmandam attulit, *Γβ* 6 et *Γδ* 3, alterum conjectura remotum esse iam supra (p. 10.) vidimus, alterum autem eadem fortuna uti, statim intelligemus. Nam codicum lectio *Γδ* 3 *εἴ τε γὰρ ὁ πατάξας* sqq. cum altera particula *τέ*, quae huic respondeat, non inveniatur, justo iure a Reiskio, Kaisero, Spengelio addubitata est. Nam quamquam saepissime in enunciatorum initio particulas *τὲ γάρ* conjunctas supra invenimus, tamen omnia illa exempla ita erant comparata, ut particulae *τέ* altera particula responderet, nullo autem loco et particula *τέ* et particula *γάρ* verba cum antecedentibus verbis conjungerentur. Atque haec particularum cumulatio prorsus mihi aliena esse videtur a tetralogiarum dicendi genere. Praeterea particula *τέ* sola invenitur Αγ 3 *οἵ τε ἧσσον κινδυνεύοντες* sqq. Accusator id, quod reus ad accusationem rejiciendam antea attulit, singulatim repellere studet. Reus vero in oratione Αβ inde a § 5 singulas causas, quibus hoc loco accusator singulatim respondet, ita conjunxerat *εἰ γαρ μή* cui respondet *εἴτε γάρ*; *εἰ δὲ καὶ μή* — *εἴτε*; *τοὺς δὲ*(!) *μὴ πολλὺ ἧσσον* — *οἵ τε*(!) *ἧσσον κινδυνεύοντες*; *τοῦ δε ἀκολούθου ἡ μαρτυρία* — *οὐκ ὀρθῶς δὲ τὴν τοῦ ἀκολούθου μαρτυρίαν*; *εἰ δέ τις* — *οὐδὲ μήν*; *ὡς δὲ τόνδε* — *ὡς δ' οὐκ.*

Haec omnia mihi afferenda erant, quo facilius appareret, illud codicum *τέ* esse mutandum in *δέ*. Nam singularis ceterorum membrorum congruentia hanc mutationem postulat. Cum illo loco conferenda sunt verba Αδ 7, de quibus jam supra (p. 11.) diximus *ἀκινδύνως τε οὗτός τε* sqq. Nam etiam hoc loco complures causae deinceps enumerantur, quarum initia haec sunt (inde a § 4): *φασὶ δέ* — *εἰ δὲ ἐκηρύσσοντο ἢ μή* — *ἀφανοῦς δὲ ὄντος τοῦ κηρύγματος* — *τοῦ δὲ θεράποντος πῶς χρή* — *ἀκινδύνως τε* — *μὴ παραγενέσθαι δὲ φασίν* — *ἡ δὲ νὺξ οὐκ ἄσημος* — *περὶ δὲ τῆς εὐδαιμονίας* — *ἐκ δὲ τῶν εἰκότων* — *πάντων δέ.* Haec sufficiunt, puto, ad Antiphontis usum illustrandum (alia exempla invenies p. 24) et illorum virorum conjecturam *ἀκινδύνως δέ* defendendam. Quod si omnibus illis locis particulam *τέ* semel positam aut

delendam aut mutandam esse sumimus, duo tantum tetralogiarum loci restant, qui particulam *τέ* semel positam praebent. Sed hi quoque statim suspicionem movent, cum hi quoque enumerationes contineant Aβ 12 *ἐμὲ δὲ γνώσεσθε οὔτε — οὔτε — ἀλλὰ τὰ ἐναντία τούτων, πολλὰς μὲν — πολλὰς δὲ — λαμπρῶς δὲ — πολλοῖς δὲ — μεγάλας δὲ — τήν τε* (sic codices) *οὐσίαν οὐ δικαζόμενον ἀλλ' ἐργαζόμενον κεκτημένον, φιλοθύτην δὲ καὶ νόμιμον ὄντα.* Usque ad membrum *τήν τε οὐσίαν* reus exponit, quomodo pecunia utatur, his ipsis vero verbis ad plane aliam rem transit; dicit enim, quomodo pecuniam aquisiverit. Itaque si codicum lectio vera esset, particula *τέ* plane novi aliquid superioribus verbis additum esset, quod contra ipsam particulae naturam pugnat; nam particula *τέ* aequabilitatem, particula *δέ* autem multitudinem rerum significat. Ergo etiam hoc loco particula *τέ* in *δέ* mutanda est. Restant verba *Γα* 4 *τῷ μὲν ἀποθανόντι οὐ τιμωροῦντες δεινοὺς ἀλιτηρίους ἕξομεν τοὺς τῶν ἀποθανόντων προστροπαίους, τοὺς δὲ καθαροὺς ἀδίκως ἀποκτείνοντες ἔνοχοι τοῦ φόνου τοῖς ἐπιτιμίοις ἐσμέν, ὑμᾶς τε ἄνομα δρᾶν πείθοντες* sqq. Respondent igitur ex codicum fide *τῷ μέν — τοὺς δὲ — ὑμᾶς τε.* Sed quis non videt, quomodo hoc loco accusator eam sententiam summa vi atque multis verbis premat, falsae accusationis culpam atque malum cadere in ipsos accusatores? Itaque tria illa huius enunciati membra parti culis *μέν* - *δέ* — *δέ* sejungenda sunt. Si locus ita restitutus est, optime congruit cum illo Antiphontis dicendi genere, de quo postea copiosius agemus (cf. p. 30.). Quae cum ita sint, statuendum est, nullo tetralogiarum loco particulam *τέ* semel positam inveniri.

Aliter res se habet in oratione I., ubi legimus I, 26 *ὅς γ' ἐκπλεῖν ἔμελλεν ἐκ τῆς γῆς τῆςδε παρά τε ἀνδρὶ αὐτοῦ φίλῳ εἱστιᾶτο.* Cum his verbis conferenda sunt § 18 verba: *ὁ δ' ἐκπλεῖν τε μέλλων καὶ παρ' ἀνδρὶ ἑταίρῳ δειπνῶν.* Sed non vereor, ne quis superiore loco de veritate codicum dubitet atque putet, post *ἐκπλεῖν* alteram particulam *τέ* negligentia quadam esse omissam; nam ut postea saepius videbimus et in or. I. et in or. V. et VI. Antiphon majore dicendi varietate usus est. Quin etiam ea ipsa paragraphi duodevi-

cesimae verba demonstrant, optime hoc loco e vulgaris sermonis usu quadrare particulam τέ; nam cum ibi eadem verba particulis τέ—καί conjunctae sint, indicatur, haec verba tamquam unum efficere membrum. (cf. quae p. 16 sq. de verbis V, 87 et VI, 5 dicta sunt.) Praeterea uno loco Maetznerus et Blassius codicem oxoniensem secuti contra ceterorum codicum auctoritatem particulam τέ receperunt. Est vero ille locus I, 9 τὰ ἀνδράποδα, ἃ συνῄδει — καὶ τὸν πατέρα εἰληφότα ἐπ' αὐτοφώρῳ ταύτην (τε) οὐκ οὖσαν ἄπαρνον, πλὴν οὐκ sqq. Sed haud bene in N particula addita est. Res enim ita se habet, ut pater, neque ullus alius a femina in manifesto facinore deprehensa facinoris rationem poposcerit, et ei neque ulli alii illa responderit, se nihil aliud nisi poculum amatorium dedisse. Itaque verba ταύτην οὐκ οὖσαν ἄπαρνον a verbis τὸν πατέρα εἰληφότα sejungi nullo modo possunt.

Particularum τέ—καί conjunctio in tetralogiis raro legitur, et praeterea omnia exempla ita sunt comparata, ut duo verba illis particulis conjungantur. Αβ 13 αὐτόν τε τοῦτον καὶ τοὺς τούτῳ βοηθοῦντας. Αδ 7 ἀτιμοῦνταί τε καὶ χρήμασι ζημιοῦνται. Ββ 12 τήν τε οὖν εὐσέβειαν καὶ τὸ δίκαιον αἰδούμενοι. Βδ 8 ἥμαρτέ τε καὶ ἐκολάσθη. Γα 1 διώκειν τε καὶ μαρτυρεῖν κατά. Γα 6 τύπτων τε καὶ πνίγων.

Quae exempla demonstrare mihi videntur, Antiphontem in tetralogiis particulis τέ—καί duo eiusdem generis verba (aut substantiva pronominave, aut verba) conjunxisse, nihil aliud. Itaque verba, quae legimus Ββ 1 τολμᾶν τά τε ἄλλα παρὰ φύσιν λέγειν καὶ δρᾶν βιάζονται sic ferri non possunt. Accedit vero alia causa, qua motus Sauppius conjecturam τολμᾶν τά τε ἄλλα καὶ παρὰ φύσιν λέγειν καὶ δρᾶν βιάζονται proposuit (cf. ep. cr. p. 137 sq.). Sed quamquam concedendum esse puto, sententiam loci mutatione illa optime esse restitutam, tamen conjectura illa mihi non probatur, quia et ipsa contra legem illam pugnat. Quae cum ita sint, puto scriptum fuisse τολμᾶν τά τε ἄλλα παρά τε φύσιν λέγειν καὶ δρᾶν βιάζονται. Conferenda sunt ea exempla, quae collegi p. 8. Adjumento vero conjecturae meae est ea res, quod in tetralogiis particularum τέ — τέ conjunctio usitatissima est.

Ut in tetralogiis in prima quoque oratione duo substantiva pronominave et duo verba particulis τέ—καί conjunguntur I, 20, 24, 28. Cetera exempla omnia plus minusve a tetralogiarum usu recedunt. Atque primum quidem, cum in tetralogiis apud particulas τέ—τέ praepositio in altero membro repetita sit, uno huius orationis loco apud τέ—καί semel tantum posita est I, 25 *ὑπό τε ὑμῶν καὶ τοῦ δικαίου.* Paulo post I, 27 haec ipsa verba sola particula καὶ conjuncta leguntur *ὑφ' ὑμῶν καὶ τοῦ δικαίου.* Verborum *ἄλλως τε καί* conjunctio, quae in tetralogiis non inveniebatur, exstat I, 5. Longius et a tetralogiarum usu et a vulgari Graecorum sermone recedit singularis adjectivorum I, 14 *καλός τε κἀγαθός* conjunctio; nam nulla fere verborum conjunctio apud Graecos tam firma atque tam usitata est, quam adjectivorum *καλὸς κἀγαθός,* quae quidem tanta erat firmitate, ut inde novum substantivum *καλοκαγαθία* nasceretur. Similiter vero in hac ipsa prima oratione conjunguntur § 23 *ἀβούλως τε καὶ ἀθέως* (cf. paulo ante § 22 *ἀθέως καὶ ἀκλεῶς*). Sed etiam interdum apud poetas et raro apud solutae orationis scriptores eius modi arctiorem verborum conjunctionem legimus.

Collocatio verborum solutior est in verbis I, 20 *αἰτία τε ἤδη καὶ ἐνθυμηθεῖσα ἕξει* cum particula *ἤδη* non ad illa verba, quae particulis τέ—καί conjuncta sint, sed ad verbum regens *ἕξει* spectet. Neque in tetralogiis neque in ceteris orationibus talis verborum collocatio invenitur.

Primae orationis usus ea re maxime ab usu tetralogiarum recedit, quod particulis τέ—καὶ etiam enunciati membra conjunguntur. Exempla haec sunt: I, 18 (bis) *ὁ δ'ἐκπλεῖν τε μέλλων καὶ παρ' ἀνδρὶ ἑταίρῳ δειπνῶν, σπονδάς τ' ἐποιοῦντο καὶ λιβανωτὸν ὑπὲρ αὐτῶν ἐπετίθεσαν.*

Qui attento animo orationem legit ea re falli non potest, quod inter particulas τέ — καί altera particula *καί*, quae priori membro aliquid adnectit, posita est, ut I, 7 *οὗτος τε ἂν ἀπελογεῖτο καὶ ἀντέσπευδε καὶ ἡ μήτηρ* sqq. Ultimum affero exemplum, quod ita comparatum est, ut id, quod ad ambo membra aeque pertineat, medium interpositum sit: I, 15 *ἐκείνῃ τε τὸν Φιλόνεων φίλον ποιῆσαι καὶ αὑτῇ τὸν ἐμὸν πατέρα.* Contra Blassium denique, qui in editione sua I, 31 dedit:

βεβοήθηται τῷ τε τεθνεῶτι καὶ τῷ νόμῳ, cum omnes codices particulam *τέ* omittant, dicendum est, quamquam facillime ante *τεθνεῶτι τε* excidere potuerit, tamen nullam esse causam cur sola particula *καί* non sufficiat. Imo cavendum est, ne putemus, Antiphontem omnibus locis, quibus bene *τέ—καί* usurpare potuerit, illis particulis esse usum. Nam ea exempla, quae p. 15 attuli, contra eius modi rationem pugnant atque demonstrant, Antiphontem in hac quidem oratione majore in verbis conjungendis varietate esse usum. Praeterea autem conferenda sunt ipsa verba § 3 *τιμωρῆσαι πρῶτον μὲν τοῖς νόμος δεύτερον δ' ἐκείνῳ τῷ τεθνηκότι* et § 24 *τιμωρήσω τῷ τε πατρὶ τῷ ἡμετέρῳ καὶ τοῖς νόμοις.*

Veniamus ad alteram huius capitis partem. Atque primum quidem particula *ὥστε* in oratione V. septies (§ 14, 16. 17 [bis] 43, 48, 53) et in or. VI. quinquies (§ 2, 4, 10, 40, 44) invenitur. Formulam *οἷόν τε εἶναι* in or. V. quater (§ 45, 53, 56, 81) et in or. VI. septies (§ 9, 15, 36, 37, 38, 42, 50) legimus.

Particulae *τέ—τέ* sibi respondent V, 84; VI, 5 (quibus de verbis cf. p. 40). Praeter hos duos locos nullum habeo quem afferre possim.

Particula *τέ*, cui altera particula *τέ* non respondet, sed particnla *οὔτε* antecedit invenitur V, 24; VI, 36.

Ut in or. I. (cf. p. 13) ita in V. quoque particula *τέ* sola posita invenitur. V, 87 *ἀνάγκη δὲ τῆς δίκης νικᾶσθαι παρὰ τὸ ἀληθές, αὐτοῦ τε τοῦ ἀληθοῦς.* Haec verba ad verbum repetuntur in oratione VI, 5, nisi quod illo loco post *τῆς* altera particula *τέ* addita est, ut sibi respondeant *τέ—τέ*. Quae cum ita sint homines docti dissentiunt, utrum codicum lectiones servandae sint, an in or. V. particula *τέ* addenda, an denique in or. VI. prior particula *τέ* delenda sit. Sauppius in editione sua codicum lectiones servavit, Blassius in or. V. addidit *τέ*, Spengelius (cf. m. rh. 17 p. 167) priorem (or. VI) particulam *τέ* in dubitationem vocavit. Itaque operae pretium esse puto, accuratius de his duobus locis agere. Cum autem praeterea alia quoque verba, quae antecedunt vel sequuntur, ad verbum fere repetantur, haec omnia comparanda sunt.

or. VI.

αὕτη δὲ μὴ ὀρθῶς καταγνωσθεῖσα ἰσχυροτέρα ἐστὶ τοῦ δικαίου καὶ τοῦ ἀληθοῦς. ἀνάγκη γάρ, ἐὰν ὑμεῖς καταψηφίσησθε καὶ μὴ ὄντα φονέα μηδ' ἔνοχον τῷ ἔργῳ χρήσασθαι τῇ δίκῃ καὶ νόμῳ.
καὶ οὐδεὶς ἂν τολμήσειεν οὔτε τὴν δίκην τὴν δεδοκιμασμένην παραβαίνειν πιστεύσας ὅτι οὐκ ἔνοχός ἐστι τῷ ἔργῳ οὔτ' αὖ συνειδὼς αὐτὸς αὑτῷ ἔργον εἰργασμένος τοιοῦτον μὴ οὐ χρῆσθαι τῷ νόμῳ. ἀνάγκη δὲ τῆς τε δίκης νικᾶσθαι παρὰ τὸ ἀληθές, αὐτοῦ τε τοῦ ἀληθοῦς κἂν μὴ ὁ τιμωρήσων ᾖ. αὐτῶν δὲ τούτων ἕνεκα οἵ τε νόμοι καὶ αἱ διωμοσίαι καὶ τὰ τόμια καὶ αἱ προρρήσεις καὶ τἆλλα ὅσα γίνεται τῶν δικῶν τοῦ φόνου ἕνεκα πολὺ διαφέροντά ἐστιν ἢ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις, ὅτι καὶ αὐτὰ τὰ πράγματα περὶ ὧν οἱ κίνδυνοι περὶ πλείστου ἐστὶν ὀρθῶς γιγνώσκεσθαι. ὀρθῶς μὲν γὰρ γνωσθέντα τιμωρία ἐστὶν ὑπὲρ τοῦ ἀδικηθέντος, φονέα δὲ τὸν μὴ αἴτιον ψηφισθῆναι ἁμαρτία καὶ ἀσέβεια εἴς τε τοὺς θεοὺς καὶ τοὺς νόμους καὶ οὐκ ἴσον ἐστὶ τόν γε διώκοντα μὴ ὀρθῶς αἰτιάσασθαι καὶ ὑμᾶς τοὺς δικαστὰς μὴ ὀρθῶς γνῶναι. ἡ μὲν γὰρ τούτου αἰτίασις οὐκ ἔχει νῦν τέλος, ἀλλ' ἐν ὑμῖν ἐστι καὶ τῇ δίκῃ. ὅτι δ' ἂν ὑμεῖς μὴ ὀρθῶς γνῶτε τοῦτο οὐκ ἔστιν ὅποι ἂν ἐνεγκών τις τὴν αἰτίαν ἀπολύσαιτο.

or. V.

φόνου γὰρ δίκη καὶ μὴ ὀρθῶς γνωσθεῖσα ἰσχυρότερον τοῦ δικαίου καὶ τοῦ ἀληθοῦς ἐστιν. ἀνάγκη γάρ, ἐὰν ὑμεῖς μοῦ καταψηφίσησθε καὶ μὴ ὄντα φονέα μηδ' ἔνοχον τῷ ἔργῳ χρῆσθαι τῇ δίκῃ καὶ τῷ νόμῳ
καὶ οὐδεὶς ἂν τολμήσειεν οὔτε τὴν δίκην τὴν δεδικασμένην παραβαίνειν πιστεύσας αὑτῷ ὅτι οὐκ ἔνοχός ἐστιν οὔτε ξυνειδὼς αὑτῷ τοιοῦτον ἔργον εἰργασμένῳ μὴ οὐ χρῆσθαι τῷ νόμῳ. ἀνάγκη δὲ τῆς δίκης νικᾶσθαι παρὰ τὸ ἀληθές, αὐτοῦ τε τοῦ ἀληθοῦς ἄλλως τε καὶ ἐὰν μὴ ᾖ ὁ τιμωρήσων. αὐτῶν δὲ τούτων ἕνεκα οἵ τε νόμοι καὶ αἱ διωμοσίαι καὶ τὰ τόμια καὶ αἱ προρρήσεις καὶ τἆλλα ὁπόσα γίγνεται τῶν δικῶν ἕνεκα τοῦ φόνου πολὺ διαφέροντά ἐστιν ἢ καὶ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις, ὅτι καὶ αὐτὰ τὰ πράγματα περὶ ὧν οἱ κίνδυνοι περὶ πλείστου ἐστὶν ὀρθῶς γιγνώσκεσθαι. ὀρθῶς μὲν γὰρ γνωσθέντα τιμωρία ἐστὶ τῷ ἀδικηθέντι, φονέα δὲ τὸν μὴ αἴτιον ψηφισθῆναι ἁμαρτία καὶ ἀσέβειά ἐστιν εἴς τε τοὺς θεοὺς καὶ εἰς τοὺς νόμους καὶ οὐκ ἴσον ἐστὶ τόν τε διώκοντα μὴ ὀρθῶς αἰτιάσασθαι καὶ ὑμᾶς τοὺς δικαστὰς μὴ ὀρθῶς γνῶναι. ἡ μὲν γὰρ τούτων αἰτίασις οὐκ ἔχει τέλος, ἀλλ' ἐν ὑμῖν ἐστι καὶ τῇ δίκῃ ὅτι δ' ἂν ὑμεῖς ἐν αὐτῇ τῇ δίκῃ μὴ ὀρθῶς γνῶτε τοῦτο οὐκ ἔστιν ὅποι ἂν τις ἀνενεγκὼν τὴν ἁμαρτίαν ἀπολύσαιτο.

Hae igitur sunt variae lectiones. Atque primum quidem additum est in altera oratione, quod in altera omissum est

in or. VI.	in or. V.
—	καί
κατά	—
—	μοῦ
—	τῷ
—	αὐτῷ
τῷ ἔργῳ	—
αὐτός	—
αὖ	—
τέ	—
—	ἄλλως τε
—	καί
—	ἐστιν
—	εἰς
νῦν	—,
—	ἐν αὐτῇ τῇ δίκῃ

Tum verba aliter collocata sunt

in or. VI.	in or. V.
ἰσχυροτέρα ἐστὶ τοῦ δικαίου sqq.	ἰσχυρότερον τοῦ δικαίου sqq. ἐσ
ἔργον εἰργασμένος τοιοῦτον.	τοιοῦτον ἔργον εἰργασμένῳ
ὁ τιμωρήσων ᾖ.	ᾖ ὁ τιμωρήσων.
τοῦ φόνου ἕνεκα	ἕνεκα τοῦ φόνου.
ἂν ἐνεγκὼν τις.	ἄν τις ἀνενεγκών.

Aliae denique varietates

in or. VI.	in or. V.
ἰσχυροτέρα.	ἰσχυρότερον.
χρήσασθαι.	χρῆσθαι.
δεδοκιμασμένην.	δεδικασμένην.
συνειδὼς αὐτὸς αὐτῷ ἔργον εἰργασμένος·	συνειδὼς αὐτῷ ἔργον εἰργασμέ
κἄν	καὶ ἐάν
ὅσα	ὁπόσα
τιμωρία ἐστὶν ὑπὲρ τοῦ ἀδικηθέντος	τιμωρία ἐστὶ τῷ ἀδικηθέντι
γέ	τέ
τούτου	τούτων
ἐνεγκών	ἀνενεγκών
αἰτίαν	ἁμαρτίαν

Quae igitur huius comparationis summa est? Prim id mihi constare videtur, lectiones καί in verbis ᾖ καὶ (or. V, 88.) et δεδοκιμασμένην (or. VI, 5) et γέ (or. VI, et ἐνεγκών (or. VI, 6) librariis esse tribuendas. Nam prim

facile intelligitur, quomodo hae lectiones oriri potuerint, tum sententia mutationes in ἤ ἐπί, δεδικασμένην, τέ, ἀνενεγκών postulat. Atque omnes homines critici has mutationes laudant, nisi quod Lindnerus particulam καί servari vult (cf. Lindnerus, de rerum dispositione apud Antiphontem et Andocidem oratores atticos commentatio, Upsaliae 1859). Deinde vero omnes ceterae varietates ita sunt comparatae, ut sententia nullo modo tangatur. Itaque omnes homines docti, qui aut in or. V. aut in or. VI. aliquid mutarunt, id fecerunt non quia sententia mutationem postularet, sed quia alter locus alteram haberet lectionem. Ita Reiskius adnotat ad or. VI. verba κἂν „lege e superiori exemplo ἄλλως τε καὶ ἐάν"; et ad νῦν „quod a superiori exemplo abest, uncis inclusi." Editio vero Turicensium et editio Maetzneriana praeterea nihil mutant. Blassius autem in apparatu critico adnotat ad or. V. verba τῆς δίκης νικᾶσθαι: „τέ ante δίκης addidi coll. VI, 5, quo loco duce etiam ἄλλως τε cum Spengelio delendum erat." Varia igitur est editorum ratio. Quod autem attinet ad meam sententiam, puto, nihil praeter illos locos, quos supra (p. 18) dixi, esse mutandum neque in or. V. neque in or. VI. Etenim, quamquam et or. V. et or. VI. verba eandem habent originem — nam ex eodem loco communi, quem vocant, desumpta sunt — tamen ipse Antiphon varietatis auctor putandus est, qui ut alterius orationis speciem paululum variaret, eius verba ita mutavit. Si vero hanc mutationis rationem fuisse ponimus, neque de negligentia quadam librariorum, neque de grammatici hominisve docti vestigiis cogitari potest.

Quae cum ita sint et Blassii conjectura (addidit particulam τέ in or. V.) et Spengelii dubitatio (de priore orationis VI. particula τέ) rejicienda et in codicum lectionibus acquiescendum est.

Tum legimus

V, 18 τούτοις γὰρ ἦν τοῦτο συμφέρον, πρῶτον μὲν sqq. — ἔπειτα κακοπαθεῖν τῷ σώματι τούς τε φίλους προθυμοτέρους ἔχειν τοὺς ἐμαυτοῦ τούτοις τὰ ψευδῆ μαρτυρεῖν ἢ ἐμοὶ τἀληθῆ λέγειν, διὰ τὴν τοῦ σώματος κακοπάθειαν. ὄνειδός τε αὐτῷ τε ἐμοὶ περιέθεσαν καί sqq. Bis igitur sola particula τέ verbis,

quae antecedunt, enunciata adduntur. Praeterea autem haec ipsa duo enunciata sententia ita sunt conjuncta, ut particularum *τέ — τέ* responsionem paene expectemus. Nam haec est verborum sententia: id eis auxilio erat primum quod — tum quod mala passus sum; id ipsum vero corporis malum duplici modo eis jucundum erat, primum quia futurum esset ut amici paratiores essent contra me dicere (cf. verba *διὰ τὴν τοῦ σώματος κακοπάθειαν*), tum quia et ipse et tota familia contumelia afficerer. Itaque duo tantum argumenta esse sumendum est, sed ita, ut alterum et ipsum in duas partes sit divisum. Simpliciter igitur Antiphon scripsisset: *ἔπειτα τῷ κακοπαθεῖν τῷ σώματι τούς τε φίλους ἔχειν — ὄνειδός τε ἐμέ τε ἔχειν καί* sqq. Sed cum in initio enunciati verborum nexum non indicaret, ea re, quod sub finem prioris membri addidit *διὰ τὴν τοῦ σώματος κακοπάθειαν*, simplicem verborum constructionem reliquit, et pro particulis *τέ—τέ* conjunctis bis solam particulam *τέ* posuit. Itaque de glossemate hoc loco cogitari non potest, quod jubet Briglebius (l. c. p. 7. sq.)

Major fortasse difficultas est in verbis V, 51 *ἔπειτα δὲ καὶ ἐκ τῶν λόγων τῶν τοῦ ἀνθρώπου μερὶς ἑκατέρῳ ἴση ἐστί, τούτοις μὲν τὸ φάσκειν, ἐμοὶ δὲ τὸ μὴ φάσκειν, ἔκ τε ἀμφοῖν τοῖν ἀνδροῖν τοῖν βασανισθέντοιν.* Nam haud temere Reiskius ad haec verba (p. 720) adnotavit „verba haec cum circumjectis sententiam prorsus eandem produnt atque prius membrum.“ Antea enim accusatus dixerat: *σκοπεῖτε δὲ ὦ ἄνδρες καὶ ἐκ τοῖν λόγοιν τοῖν ἀνδροῖν ἑκατέροιν βασανισθέντοιν τὸ δίκαιον καὶ τὸ εἰκός. ὁ μὲν γὰρ δοῦλος δύο λόγω ἔλεγε· τοτὲ μὲν ἔφη με εἰργάσθαι τὸ ἔργον, τοτὲ δὲ οὐκ ἔφη. ὁ δὲ ἐλεύθερος οὐδέπω νῦν εἴρηκε περὶ ἐμοῦ φλαῦρον οὐδέν, τῇ αὐτῇ βασάνῳ βασανιζόμενος.* Ex his verbis perspicue intelligitur, prorsus non aequam partem ex verbis duorum virorum utrique obvenire. Nam et servus et homo liber nondum tormentis interrogati accusatum crimine solverant, tormentis vero interrogati servus contra eum, homo liber pro eo dixerat; itaque accusato tres partes, accusatori una pars obvenit. Contra hanc autem sententiam verba *ἔκ τε ἀμφοῖν τοῖν ἀνδροῖν τοῖν βασανισθέντοιν* (scilicet *ἴση μερὶς ἑκατέρῳ ἐστί*) pugnare videntur, quam ob rem Reiskius dicit:

„ego nullus dubito legendum esse ἔκ τε ἀμφοῖν τοῖν ἀνδροῖν τοῖν βασανισθέντοιν ἐμοὶ μερὶς κρείσσων", et Hirschigius (cf. Philologus IX p. 737) haec verba deleri jubet. Tamen fortasse haec verba explicari possunt. Nam cum supra verba ἐκ τοῖν λόγοιν τοῖν ἀνδροῖν τοῖν βασανισθέντοιν nihil significent quam ex verbis testium tormentis interrogatorum, hoc loco vox βασανισθέντοιν premitur atque opponitur ipsis viris nondum tormentis interrogatis. Tum videmus, recte se habere et καὶ ἐκ τῶν λόγων τῶν τοῦ ἀνθρώπου μερὶς ἑκατέρῳ ἴση ἐστί, et ἔκ τε ἀμφοῖν τοῖν ἀνδροῖν τοῖν βασανισθέντοιν. Itaque in hoc loco explicando id semper tenendum est, vocem βασανισθέντοιν non, ut supra, ad testes simpliciter significandos esse usurpatam, sed oppositam esse ipsis viris, cum tormentis nondum essent interrogati. De eadem huius loci explicatione cogitasse video Lindnerum l. c. p. 55 sq.

Non possum silentio transire Hermanni Sauppii, praeceptoris dilectissimi, sententiam, qui hoc loco legere me jussit ἔκ τε τῶν λόγων sqq., ut sibi responderent particulae τέ—τέ. Sed, quod rarissime fit, viri doctissimi conjectura mihi non probatur. Nam primum omnes codices particulam τέ omittunt, tum particularum τέ—τέ responsio semel tantum in or. V. invenitur, denique confero huius orationis verba (§ 87) ἀνάγκη δὲ τῆς δίκης νικᾶσθαι παρὰ τὸ ἀληθές, αὐτοῦ τε τοῦ ἀληθοῦς (cf. de his verbis p. 16).

In or. VI. nullo loco particula τέ semel usurpata est. Venimus igitur ad ultimam huius capitis partem, qua de particulis τέ—καί (in or. V. et VI.) conjunctis acturi sumus.

Atque primum quidem ut in tetralogiis et in or. I. simpliciter duo substantiva pronominave et duo verba particulis τέ—καί conjunguntur. V, 1 τῇ τε συμφορᾷ καὶ τοῖς κακοῖς. In his verbis paulisper subsistendum est. Si enim oculos ad ea verba, quae antecedunt, vertimus: τὴν δύναμιν τοῦ λέγειν καὶ τὴν ἐμπειρίαν τῶν πραγμάτων, facile aliquis ante vocem δύναμιν particulam τέ desiderare potest, quae si addita esset pulcherrimam duorum enunciati membrorum aequabilitatem perficeret: τήν τε δύναμιν τοῦ λέγειν καὶ τὴν ἐμπειρίαν τῶν πραγμάτων ἐξ ἴσου μοι καθεστάναι τῇ τε συμφορᾷ καὶ τοῖς κακοῖς. Sed eiusmodi verborum concinnitas in hac oratione non desideratur.

Cetera exempla vide: V, 20; 41; 76. VI, 4; 38; 50.

Particula *καί* repetitur: VI, 22. Quater particula *καί* posita est: V, 38 et VI, 6.

Cum in tetralogiis saepius substantiva, quibus praepositio aliqua addita est, particulis *τέ—τέ* conjuncta inveniamus in or. V. et VI. eius modi voces particulis *τέ—καί* conjunguntur V, 88.

Invenimus in tetralogiis novem exempla, in quibus particulae *τέ—τέ* cum praepositionibus conjunctae erant, eaque omnia ita comparata, ut particula *τέ* locum post praepositionem teneret; neque vero in ceteris orationibus, quae particulis *τέ—καί* utuntur, res aliter se habet, cum omnia exempla eandem verborum collocationem ostendant, uno loco excepto: VI, 31 *τούτους μὲν αὐτούς τε ὑπὸ σφῶν αὐτῶν* sqq. Tamen puto, nihil esse mutandum, cum similis verborum collocationis negligentia saepius in his orationibus inveniatur, ut VI, 18 *ἐξ αὐτῶν τῶν λόγων τῶν τε τοῦ κατηγόρου καὶ τοῦ ἀποκρινομένου.* Nam ut supra particula *τέ*, cum justum habeat locum post praepositionem negligentia quadam antecedit, ita hoc loco particula *τέ* articulo, quem sequi debebat, antecedit. Tum huc pertinent verba V, 65 *ἅμα τε πανουργοῦσι καὶ πρόφασιν εὑρίσκουσιν*, cum particula *τέ* proprium locum habeat post *πανουργοῦσιν.*

Ut in orationis primae verbis *ὑπό τε ὑμῶν καὶ τοῦ δικαίου* (§ 25) (cf. p. 15) apud particulas *τέ—καί* praepositio semel tantum posita est, ita in his quoque verbis VI, 6 *εἰς τε τοὺς θεοὺς καὶ τοὺς νόμους* (cf. V, 88 *εἴς τε. τοὺς θεοὺς καὶ εἰς τοὺς νόμους.*) Et V, 62 *περί τε αὐτοῦ καὶ ἐμοῦ.* (Codex oxoniensis addit *περί* post *καί*).

Etiam verborum *ἄλλως τε καί* conjunctio invenitur (cf. p. 35.) in or. V. § 32.

Uno loco verba, quae particulis *τέ—καί* conjunguntur ita collocata sunt, ut vox quaedam, quae ad ambo aeque pertineat interposita sit (cf. p. 7.) VI, 23 *σφῶν τ' αὐτῶν ἕνεκα καὶ τοῦ δικαίου.*

Praeterea particulis *τέ—καί* enunciatorum membra conjunguntur. (cf. p. 15.) V, 8; 24; 25; 45; 61; 85; 89 et VI, 6; 9; 14; 23; 29; 38.

Frequens harum orationum usus est, ut inter ea membra, quae particulis τέ — καί conjuncta sint, id, quod ad ambo pertineat medium interpositum sit, qua re verborum concinnitas ita turbatur, ut alterum membrum, quod particula καί adjungitur, tamquam claudicantis speciem praebeat. Huius generis exempla invenies V, 90; 92; VI, 16; 20; 31.

Particula καί saepius posita est V, 96; VI, 23.

Unus locus restat: VI, 46 συνῇσάν τε γάρ μοι — καὶ οὐκ ἀπεγράφοντο. Ut in eis exemplis, quae attuli p. 16 sibi respondent οὔτε—τέ, ita hoc loco sibi respondent τέ—καὶ οὐκ.

Quod vero attinet ad codicum lectionem V, 10 φασὶ δὲ αὖ τό τε ἀποκτείνειν μέγα κακοῦργημα εἶναι sqq. consentio cum Sauppio, qui particulam τέ in γέ mutandam esse censet.

Summa igitur huius capitis haec est. ὥστε in tetralogiis ter, in or. I. semel, in or. V. septies, in or. VI. quinquies, et formula οἷόν τε εἶναι in tetralogiis nunquam, in or. I. semel in or. V. quater, in or. VI. septies invenitur. Particulae τέ —τέ in tetralogiis sexies et quadragies usurpatae sunt atque ita quidem, ut et singula verba et enunciati membra et ipsa enunciata conjungantur. Articulus et praepositiones semper apud alteram particulam repetuntur. Septiesdecies in initio enunciatorum particulas τέ et γάρ conjunctas legimus. Ceterae orationes singula tantum particularum τέ—τέ responsionis exempla praebent. Particula τέ, cui altera particula non respondet, in or. I. et in or. V. legitur. In or. V. et in or. VI. singulis locis sibi respondent particulae οὔτε—τέ. Particulis τέ—καί in tetralogiis nihil nisi duo eiusdem generis verba, in ceteris orationibus etiam enunciati membra conjunguntur. In ea quoque re orationes I. V. VI. eadem lege utuntur, quod apud particulas τέ — καί praepositio aut bis aut semel ponitur. In prima denique oratione duo adjectiva vel adverbia particulis τὲ καί conjunguntur.

Caput II.

De particulis δέ et μέν.

A.

Prima ac vera particulae δέ vis ea esse videtur, ut norvam aliquam rem superioribus addet. Unde nascitur is particulae usus, ut saepe numero orationi continuandae inserviat. Ita prooemio absoluto transitio ad ipsam defensionem vel accusationem particula δέ fit: Aβ 5; Aγ 1; Bδ 3; Γγ 1; Γδ 2.

Epilogus vero particula δέ incipit Aα 9; Aγ 9; Aδ 11; Bγ 11; Γγ 6.

Maxime autem haec addendi vis perspicua est in eis tetralogiarum partibus, in quibus multa argumenta deinceps afferuntur, quorum in enumeratione particula δέ saepius deinceps usurpatur. Jam supra de hac Antiphontis consuetudine pauca dixi et trium orationum exempla, quae huc pertinent, attuli cf. p. 12 sq. Cetera exempla invenies Bγ 7; Bδ 3; Γβ 3; Γγ 2; Γδ 3;

De simili aliarum apud Antiphontem particularum crebro usu dicit Ottsen (cf. eius dissertionem de rerum inventione ac dispositione, quae est in Lysiae atque Antiphontis orationibus, Flensburgi 1847 p. 17.)

Talis particulae δέ cumulatio in or. I. non invenitur, nam ibi raro particula δέ ad novam aliquam rem addendam usurpatur. Haec habeo eius generis exempla: I, 3; 5; 14; 23; 28.

Alius particulae δέ usus Kayserum fugit. Dicit enim (cf. m. rh. XII p. 237): „da der satz ἅπαντος δὲ τοῦ μιάσματος ἀναχωροῦντος εἰς ἡμᾶς — πειρασόμεθα ὑμῖν δηλοῦν sqq. (Aα 3) das vorhergehende zusammenfasst, wollte schon Stephanus ἅπαντος οὖν für ἅπαντος δέ lesen; doch ist ἅπαντος δή wahrscheinlicher". Neutrum recte. Conferas, quaeso Aβ 12 ἐμὲ δὲ γνώσεσθε οὔτε —; τοιούτου δὲ ὄντος μου μηδὲν ἀνόσιον μηδὲ αἰσχρὸν καταγνῶτε. Aδ 10 πάντων δὲ τῶν κατηγορηθέντων ἀπίστων ἐλεγχθέντων sqq. et praeterea Bβ 6; Bβ 8; Bγ 11; Bδ 9; Γδ 10; quae enunciata omnia ita sunt com-

parata, ut ea, quae antecedunt, comprehendantur. Quodammodo cum his exemplis is particulae usus conferri potest, ut eis verbis, quae e superioribus repetuntur, addatur; cf. Bβ 2 *ὑπ' αὐτῆς τῆς συμφορᾶς ἠναγκάσθη* —; *ὑπὸ δὲ σκληρᾶς ἀνάγκης βιαζόμενος* et Bβ 10; *Γδ* 3.

In or. I. tale quid non invenitur.

Praeterea particula *δέ* haud paucis locis ita est usurpata, ut enunciata interjecta, vel verba, quae in parenthesi leguntur, cum superioribus verbis conjungat. Optime de hoc usu dicit Hartungius (Lehre von den partikeln der griechischen sprache I p. 167): „Die partikel knüpft erklärende zusätze oder einschiebsel an, wo man eine deutlichere und bestimmtere verbindung, etwa *γάρ*, erwarten sollte". Huc pertinent haec tetralogiarum et orationis primae exempla: Aβ 6; *Γγ* 4; Aα 8; I, 12; 13.

Simile enunciatum invenitur Aδ 9, ubi cod. N praebet: *τοῖς δὲ εὐτυχοῦσιν ἀτρεμίζειν καὶ φυλάσσειν τὴν παροῦσαν εὐπραγίαν. μεθισταμένων γὰρ τῶν πραγμάτων δυστυχεῖς ἐξ εὐτυχούντων καθίστανται.* Ceteri codd. habent *δέ* pro *γάρ*. Utrumque ferri potest. Tamen *δέ* praeferendum est; nam etiam alio huius paragraphi loco codex N correctoris cuiusdam vestigium ostendit. Cum enim ceteri codices praebeant *τοῖς γὰρ ἀτυχοῦσι*, in cod. N invenitur *τοῖς μὲν γὰρ ἀτυχοῦσι*, quamquam propter huius orationis naturam sola particula *γάρ* longe praeferenda est. Nam haec ipsa oratio Aδ ea re ab omnibus orationibus recedit, quod particularum *μέν—δέ* responsionem quinquies tantum ostendit, cum sola particula *δέ* ter et vicies inveniatur. Multa vero exempla demonstrant optime ex Antiphontis dicendi genere dici posse *τοῖς γὰρ ἀτυχοῦσι — τοῖς δὲ εὐτυχοῦσι* (cf. p. 26). Itaque puto, et mutationem particulae *δέ* in *γάρ* et verborum *τοῖς γάρ* in *τοῖς μὲν γάρ* eidem homini docto esse tribuendam. Adjuvat autem meam sententiam, quod etiam apud alios scriptores eodem modo particula *δέ* in *γάρ* depravata est (cf. Reinoldus Klotz in adnotationibus ad Matthaei Devarii librum de graecae linguae particulis p. 362 sq.).

Singularis usus invenitur I, 9 *ἃ συνῄδει καὶ πρότερον τὴν γυναῖκα ταύτην, μητέρα δὲ τούτων* sqq. Feminae duae res

tribuuntur, quarum altera particula *δέ* additur, ut saepissime apud alios scriptores cf. Hartungius l. c. I p. 169 et Reinoldus Klotz l. c. p. 358.

Cum iam in uno vel altero eorum exemplorum, quae attuli, vis adversativa plus minusve appareat, haec maxime in aperto est in his verbis: Aα 2 *γιγνώσκοντας οὖν ὑμᾶς χρὴ ταῦτα — ἡμεῖς δέ* sqq. Aβ 11 *ἀπολυόμενος τῆς αἰτίας ἔγωγε μιανῶ — οἱ δὲ διώκοντες* sqq. Alia exempla invenies Aγ 9; Aδ 2; Bα 1; Bβ 8; Bγ 5; Bδ 6; *Γδ* 2; *Γδ* 4. Omnia ita sunt comparata, ut posteriorum temporum oratores (cogito imprimis de Isocrate) priori membro particulam *μέν* addituri fuerint. Sed recte monet Reinoldus Klotz (l. c. p. 357: „errant, qui *μὲν* in priore membro tacita cogitatione adsumendum esse existumant. Quia enim prius membrum sine ulla oppositionis significatione ponitur in his locis, nulla particula illo membro adjecta est".

Quae cum ita sint Blassii conjectura *Γδ* 4 *εἰ μὲν γάρ — νῦν δέ* pro codd. lectione *εἰ γάρ* supervacanea est. Male vero codicem N (quem Maetznerus et Blassius secuti sunt) *μέν* addidisse Aδ 9 iam supra dixi (p. 25).

Eundem particulae *δέ* usum invenimus I, 2 et eodem modo, ut in illo exemplo *Γδ* 4, *εἰ — νῦν δέ* sibi opposita sunt I, 11 *εἰ οὗτοι ἠθέλησαν — νῦν δέ* sqq. Praeterea cf. I, 16; 19; 28.

Ea autem re, quod prius membrum sine particula *μέν* ponitur, saepius efficitur, ut particulae *δέ—δέ* sibi oppositae esse videantur. Sed videntur tantum. Nam res haec est: Accusator vel reus, postquam adversarii sententiam attulit eaque verba particula *δέ* cum eis verbis, quae antecedunt, conjunxit, id, quod ipse de ea re sentit, illis verbis adversarii opponit atque ita quidem, ut iterum particula *δέ* utatur. Ita legimus: Aδ 4 *φασὶ δέ — ἐγὼ δὲ ἐῖναι δοκῶ.* Aδ 8 *μὴ παραγενέσθαι δὲ φασίν — ἐγὼ δ'οὐ παραγενόμενος δηλώσω* et Bγ 7; Bγ 9; *Γβ* 3; *Γγ* 4; *Γγ* 5.

In oratione I. tale quid non inveni.

Duobus locis Reinoldus Klotz ex optimis codicibus particulam *δέ* in apodosi post participia absoluta restitui vult (cf. l. c. p. 374 et eius quaest. critt. lib. I p. 66 et p. 101),

qua re eum laudant Maetznerus (in commentariis p. 136) et Baeumleinius (Untersuchungen über griechische partikeln p. 94); sed neque Turicenses neque Blassius eum secuti sunt. Legunt enim I, 12 *εἰ γὰρ τούτων ἐθελόντων διδόναι εἰς βάσανον ἐγὼ μὴ ἐδεξάμην*, cum Reinoldus Klotz lectionem *ἐγὼ δὲ μή* (quae est in A B L M) defendat. Altero vero loco editores illi discrepant; nam cum ed. Turr. Bekkeri conjecturam, quae mihi quoque probatur, secuta praebeat Aβ 4 *τούτων ὑπόπτων ὄντων ἐγὼ ἂν εἰκότως καθαρὸς δοκοίην εἶναι*, pro codicum lectione *ἐγὼ δ' εἰκότως* (quod est in A L M; errore autem factum esse videtur, quod in ed. Turr. adnotatum est, in codd. A B L esse *ἐγὼ δ'ἂν εἰκότως*), Blassius cum codice N scripsit *ἐγὼ δικαίως*, quae quidem lectio quomodo nata sit optime demonstravit Sauppius (ind. schol. p. 9).

Denique omnes consentiunt in codicum lectione: Bβ 6 *ἀκουσίου δὲ τοῦ φόνου ἐξ ἀμφοῖν ὑμῖν ὁμολογουμένου γενέσθαι, ἐκ τῆς ἁμαρτίας, ὁποτέρου αὐτῶν ἐστίν, ἔτι δὲ σαφέστερον ἂν ὁ φονεὺς ἐλεγχθείη*, mendum quoddam contineri. Sauppius, quem Blassius secutus est, mutavit *δέ* in *γέ* (cf. p. 44), Maetznerus lacunam statuit, Dobreeus et Kayserus (m. rh. XII p. 229) *δέ* deleri jusserunt.

Venimus ad orationum quintae et sextae usum. Particula *δέ* in or. V. saepissime legitur; non minus quam ter et tricies ita usurpatur, ut novi aliquid addat vel orationem continuet. Ita reus narrationem incipit verbis: V, 10 *ἐγὼ δὲ τὸν μὲν πλοῦν ἐποιησάμην* sqq. Tum compluribus locis testibus interrogatis ad orationem redit particula *δέ* usus: V, 23 *ἐπειδὴ δὲ μετεξέβημεν* sqq. et eodem modo V, 29; 84. Praeterea inde a § 68 quattuor exempla, quibus verba sua comprobat, ita cum superioribus verbis conjunxit: *αὐτίκα Ἐφιάλτην — τοῦτο δ'ἐντὸς οὐ πολλοῦ χρόνου — τοῦτο δὲ περί — τοῦ δ' ἑνός* sqq. Similiter dicit § 82 sq: *οἶμαι ὑμᾶς ἐπίστασθαι ὅτι πολλοί — τοῦτο δὲ ἤδη ἑτέρους — τοῦτο δὲ ἱεροῖς παραστάντες*.

Particulam *δὲ* cum alia quadam conjunctam legimus: *ἔτι δέ* or. V. § 17 39., VI, 12. *ἔπειτα δέ* or. V. 16, 42, 62, 51, 54, 92. *ἐπειδὴ δέ* or. V. 23, 29, 24. *ἐπεὶ δέ* or. V. 77 et or. VI, 12.

Ad enunciata interjecta cum superioribus verbis conjun-

genda usurpatur (cf. p. 25): V, 10; 22; 87 et VI, 5; 10; 42. Tum in or. V. semper fere utitur verbis: *τούτων δ'ὑμῖν τοὺς μάρτυρας παρέξομαι* (vel similibus) cf. § 20, 22, 24, 28, 30, 35. Uno vero loco recedit ab hoc usu § 56: *καί μοι μάρτυρας τούτων κάλει.*

Ex or. VI. pauca exempla jam attulimus, alia invenies: VI, 7; 16; 17; 20; 25; 28; 41.

Oppositio quaedam manifesta est in his fere locis: V, 28 *καὶ μὴν εἰκός γε ἦν — νῦν δέ* sqq. et eodem modo legitur *νῦν δέ* 47 (bis), 69, 93 (cf. p. 26). V, 13 *ἅπασι γὰρ τοῦτο κοινόν ἐστι. σύ δέ ἰδίᾳ ζητεῖς* sqq. Praeterea *σὺ δέ* invenitur or. V. 11, 15.

Particulae *δέ* sibi oppositae esse videntur (cf. p. 26) V, 10 *φασὶ δέ — ἐμοὶ δέ* sqq. V, 39 *ἔτι δὲ καὶ τάδε λέγουσιν — ἐγὼ δὲ φημί* sqq.; V, 57 *λέγειν δὲ τολμῶσι — ἐμοὶ δέ* sqq.

In anaphora, quam vocant, priori membro particula *μέν* non addita est his locis: V, 54 *διάφορον ἦν τὸ γραμματίδιον — διάφορος δ'ὁ ἄνθρωπος.* V, 65 *εἴ τις — εἰ δέ τις* sqq.; V, 68 *εἰ οὖν — εἰ δὲ μή* sqq.

In or. VI. eodem modo vis adversativa in aperto est: VI, 8 *ἡγοῦμαι γάρ μοι τιμήν — τοῖς δὲ κατηγόροις αἰσχύνην* sqq.; VI, 29 *καὶ εἰ μὲν πάνυ μὴ παρεγένοντο μάρτυρες, ἐγὼ δὲ παρειχόμην, ἢ τοὺς παραγενομένους μὴ παρειχόμην, ἑτέρους δέ τινας, εἰκότως ἄν* sqq. Omnia haec adicripsi, quo facilius intelligi possit, errare eos, qui accuratam apud Antiphontem membrorum responsionem expectent. Nam cum prioris partis membra particulis *μέν—δέ* sibi oppositae sint, in posteriore parte prius membrum sine particula *μέν* positum est. Eadem verborum inconcinnitas invenitur in proxima paragrapho: VI, 30 *ὅπου μὲν γὰρ λόγῳ τις διδάσκοι περὶ τῶν πραχθέντων μάρτυρας δὲ μὴ παρέχοιτο, μαρτύρων ἂν τις τοὺς λόγους τούτους ἐνδεεῖς φαίη εἶναι· ὅπου δὲ μάρτυρας μὲν παρέχοιτο, τεκμήρια δὲ αὖ* sqq. Itaque cum bis particulae *μέν—δέ* sibi oppositae sint, semel sola particula *δέ* oppositio indicatur.

Haec exempla sufficiunt, puto ad has conjecturas rejiciendas: VI 7 Codd. praebent *οὗτοι γάρ—ἐγὼ δέ;* Blassius conjecit *οὗτοι μὲν γάρ.* Ne id quidem Blassii conjecturam commendat, quod saepissime apud Antiphontem particulae *μὲν*

γάρ conjunctae sunt. Nam recte Wageners (Étude sur l'authenticité du discours d'Antiphon περὶ τοῦ χορευτοῦ, Gand 1870 p. 26) monuit: la formule μὲν γάρ, qui figure trente-six fois (imo vero undequadragies, neglexit enim exempla § 5, 22, 54) dans l'Or. V., et seulement neuf fois dans l'Or. VI.

Praeterea conjecit Dobreeus, quem Blassius secutus est VI, 41 πρῶτον μέν — τοῦτο δέ pro codd. lectione πρῶτον. Denique Blassius scripsit contra codicum autoritatem, qui μέν omittunt, VI, 43, ἑτέρους μέν — τούτου δέ sqq.

B.

In tetralogiis particulis μέν—δέ duo verba sibi opponuntur his locis; Aβ 10 εἰ καὶ εἰκότως μὲν ὄντως δὲ μὴ ἀπέκτεινα. Aγ 8 εἰκότως μὲν ἀνοσίως δὲ ἀπέκτεινε. Briglebius (l. c. p. 9) particulam δέ deleri jubet, sed eius causae mihi omnino non probantur. Tum conferas Γβ 3; Bβ 8; Bγ 5; Bδ 2.

In or. I. hoc modo duo verba sibi opposita non sunt.

Praeterea particulae μέν—δέ et ad enunciata et ad enunciatorum membra conjungenda tam saepe usurpantur, ut omnia exempla afferre supervacaneum esse mihi videatur. Itaque ea, de quibus nihil monendum est, omittimus.

Saepius particulis μέν—δέ transitio ab una ad alteram orationis partem ita fit, ut μέν in fine prioris, δέ in initio posterioris partis inveniatur. Aβ 10 οὕτω μὲν ἃ κατηγόρηταί μου πάντα ἄπιστά ἐστιν. ἀπολύεσθαι δὲ ὑφ' ὑμῶν sqq. quibus verbis orator ad epilogum transit. Prooemio vero absoluto ad ipsam defensionem pergit verbis: Aδ 4 τὴν μὲν οὖν ἀτυχίαν ᾗ με διαβάλλουσιν — ἀξιῶ δὲ ὑμᾶς sqq. Similiter legimus; Bγ 4 τῷ μὲν οὖν δικαίῳ πιστεύων ὑπερορῶ τῆς ἀπολογίας· τῇ δὲ σκληρότητι sqq. Postrema haec duo exempla Antiphontis dicendi genus optime ostendunt, cum in priore orationis parte non sola particula μέν sed particulae μὲν οὖν conjunctae inveniantur; nam saepissime in transitionibus has particulas conjungit. Praeter illa exempla conferas, quaeso, Aγ 1; Γβ 7; Γδ 9; Aβ 13. Praeterea particulas μὲν οὖν conjunctas invenies in tetralogia A: β 4, 12, in tetr. B: α 1 (bis) β 3, δ 8; in tetr. Γ: α 5, β 2, 5, 8, γ 6, δ 1, 2, 5. Sed de harum particularum conjunctione aliis locis di-

cendum erit (cf. p. 35 et p. 37 sq.). Hic sat est commemorasse, saepius Antiphontem in transitionibus particulis μὲν οὖν—δέ esse usum. Tamen de veritate illius exempli, quod primo loco attuli (Aβ 10) dubitari non potest, cum eodem modo particulis μέν — δέ transitio fiat in eadem tetralogia Aα 9: τὰ μὲν βιασάμενα ταῦτά ἐστιν ἀσεβῆσαι αὐτόν. μάρτυρες δέ sqq. In or. I transitio particulis μὲν οὖν — δέ fit I, 13. Praeterea particulae μὲν οὖν conjunctae leguntur I, 13, 20, 31.

Frequentissimus autem particularum μέν—δέ usus est, ut verba, quae ita repetantur, ut anaphora exstet, conjungat. Ita multis locis articulus repetitur, quos omnes afferre longum est. cf. Aγ 3; Bγ 4, 10; Γγ 4, Γδ 7, 11. Et articulus pro demonstrativo Aδ 7, Bγ 4, 5, 6, Bδ 7, 9, Γγ 4, Γδ 4, 5, 6, 8 et in or. I. 18, 20. Praeterea eodem modo aliae voces repetuntur: Aα 6 εἰκότως μέν — εἰκότως δέ. Aβ 12 πολλὰς μέν — πολλὰ δέ — λαμπρῶς δέ — πολλοῖς δέ — μεγάλας δέ sqq. Γδ 2 πολλοὶ μέν — πολλοὶ δέ. Γδ 9 κοινὴν μέν — κοινὴν δέ. Bβ 9 ὑπὸ μέν — ὑπὸ δέ. Aβ 1 ὁπόταν μέν — ὁπόταν δέ. Γβ 1 ὅτι μέν — ὅτι δέ. Γα 6 ὡς μέν — ὡς δέ et paulo negligentius: Aβ 3 ὡς δεινὸν μέν — ὡς δέ. Bγ 8 εἰ μέν — εἰ δέ et eodem modo Bδ 2, Bδ 4, Γβ 6. I, 29 ἐὰν μέν — ἐὰν δέ. I, 16 ἅμα μέν — ἅμα δέ. I, 1 τοῦτο μέν — τοῦτο δέ et eodem modo § 1, 11. (§ 9 legitur τοῦτο μέν, cui satis magno spatio interposito respondet simpliciter particula δέ (cf. Sauppius ep. cr. p. 28).

Saepius unam particulam μέν bis vel saepius sequitur particula δέ, de quo dicendi genere jam supra diximus (cf. p. 13). Primo loco affero illud exemplum, quod omnium optime Antiphontis usum illustrat: Aγ 11 βοηθεῖτε μὲν τῷ ἀποθανόντι, τιμωρεῖσθε δὲ τὸν ἀποκτείναντα, ἁγνεύετε δὲ τὴν πόλιν. τρία γὰρ ἀγαθὰ πράξετε· ἐλάσσους μὲν τοὺς ἐπιβουλεύοντας καταστήσετε, πλείους δὲ τοὺς τὴν εὐσέβειαν ἐπιτηδεύοντας, ἀπολύσεσθε δ' αὐτοὶ τῆς ὑπὲρ τούτου μιαρίας. Videmus igitur Antiphontem hac membrorum divisone multitudinem rerum significare voluisse. Alia eiusdem generis exempla invenies Aα 1; Aα 6; Aα 5; Aβ 1; Aβ 9; Aγ 11. E tetralogia B unum tantum exemplum afferre possum: Bβ 3 ἔβαλε μέν, οὐκ ἀπέκτεινε δὲ οὐδένα κατά γε τὴν ἀλήθειαν ὧν

ἔπραξεν, ἄλλου δ'εἰς αὐτὸν ἁμαρτόντος εἰς ἀνοσίους (sic legendum esse cum Blassio puto pro codd. lectione ἀκουσίους) αἰτίας ἦλθεν. In tetralogia Γ denique haec exempla invenies: Γα 7 et Γβ 7 (non intelligo cur Blassius verba ἀδίκως δέ tamquam conjectura addita uncis incluserit).

Praeterea huc pertinent duo illi loci, de quibus copiosius egi p. 13.

In or. I. eodem modo particulam μέν bis sequitur particula δέ I, 18; 21; 23.

Interdum prius membrum, cui particula μέν addita est, iterum particulis μέν — δέ in duas partes divisum est ut haec orationis forma eveniat:

μέν — μέν — δέ — δέ

Bβ 7 τὸ μὲν τοίνυν μειράκιον sqq. — ἔδρασε μὲν οὐδὲν ἀκούσιον, ἔπατε δέ sqq. — ὁ δὲ παῖς. Et Γβ 3 εἰ μὲν γὰρ ἀπέθανεν, ὑπ' ἐμοῦ μὲν δικαίως δ'ἂν ἐτεθνήκει — νῦν δέ.

Simili modo I, 21 alterum membrum, quod tertium sequitur, divisum est, ut haec figura sit:

μέν — δέ — μέν — δέ — δέ

Ambo membra divisa sunt et praeterea primum μέν bis sequitur δέ Γγ 2

μέν — μέν — δέ — δέ — μέν — δέ — δέ

Γγ 2 πρῶτον μὲν — τοὺς μὲν γάρ — τοὺς δέ — ὡς δὲ οὐδέ — ὁ μὲν γάρ — ὁ δέ — εἰ δὲ ταῖς χερσίν sqq.

Duobus locis posteriorem particulam μέν bis sequitur particula δέ ut haec sit membrorum responsio

μέν — μέν — δέ — δέ — δέ

Aβ 1 τῶν μὲν γὰρ ἄλλων — ὁπόταν μέν — ὁπόταν δέ — ἐὰν δέ (cf. p. 11) — ἐμοὶ δέ. Et Aβ 9 ἁλοὺς μὲν γάρ — τῆς μὲν οὐσίας — τῆς δὲ πόλεως — περιγενόμενος δέ — ἐὰν δὲ νῦν sqq.

Restat haec figura:

μέν — μέν — δέ — μέν — δέ — δέ — μέν — δέ

Γδ 2 εἰ μὲν γὰρ ὥσπερ βλέπειν μὲν τοῖς ὀφθαλμοῖς, ἀκούειν

δὲ τοῖς ὠσίν, οὕτω — ὑβρίζειν μέν — σωφρονεῖν δέ — νῦν δὲ πολλοὶ μέν — πολλοὶ δέ sqq.

Raro tantum particulam *μέν* non sequitur particula *δέ*, et ne unum quidem tetralogiarum exemplum afferre possum, in quo alia quaedam particula particulae *δέ* locum teneat. In or. I. autem duobus locis particulae *μέν* respondet particula *ἀλλά* I, 13 et 18.

Paucis denique locis particula *δέ* non sequitur, quia orationis forma paululum mutatur, vel negligentia quadam omittitur. Ita verbis *Γδ* 2 *ὁ μὲν οὖν διώκων οὐκ εἰκόσι τεκμηρίοις χρώμενος τοῦτον τὸν ἄρξαντά φησιν εἶναι* respondent in paragrapho tertia verba: *οἱ γὰρ μάρτυρες τοῦτόν φασιν ἄρξαι τῆς πληγῆς.* Tum huc pertinent verba *Γβ* 2 *εἰ μὲν σιδήρῳ ἠμυνάμην αὐτόν, ἠδίκουν μὲν οὐδ' οὕτως — ταῖς δὲ χερσὶ τυπτόμενος ὑπ' αὐτοῦ ταῖς χερσὶν ἅπερ ἔπασχον ἀντιδρῶν, πότερα ἠδίκουν;* desideratur enim in apodosi posterioris membri particula *δέ*, quae respondeat particulae *μέν* post *ἠδίκουν*. De hac vero particularum *μέν — δέ* iteratione, si et protasis et apodosis prioris membri habent, quod in protosi et apodosi posterioris membri eis respondeat, dicit Maetznerus ad hunc locum (cf. l. c. p. 187) et Hartungius (l. c. I p. 172).

Aliter autem res se habet in orationis primae verbis, quae Sauppius optime restituit (cf. eius ep. cr. p. 28 sq.) I, 9 *τοῦτο μὲν γὰρ ἠθέλησα μὲν τὰ τούτων ἀνδράποδα βασανίσαι — βασανιστὰς δέ* sqq. Nam ibi, ut Sauppii verba mea faciam, particula *μέν* bis ita posita est, ut primum ad totam partem priorem sententiae pertineat alteri oppositam, deinde iterum ei vocabulo addita sit, quod momentum faciat (l. c. p. 29).

Ut in oratione prima particulis *μέν — δέ* duo verba sibi opponuntur V, 55; 82. Aliud orationis quintae et sextae discrimen eo continetur, quod in or. V. saepius, in or. VI. ne semel quidem transitio ab una ad alteram orationis partem particulis *μέν — δέ* fit. cf. V, 21; 25; 31; 60.

De particularum *μὲν οὖν* conjunctione vide p. 38; hoc loco dicendum est, illam et in or. V. et in or. VI. in transitionibus saepius esse usurpatam.

Anaphora in or. V. saepissime, in or. VI. rarius invenitur, et cum in or. VI. semper priori membro particula *μέν* addita sit, invenimus in or. V. nonnulla exempla, ubi particula *μέν* omittur (cf. p. 28). Articuli autem vel pronominis alicuius repetiti haec legimus exempla: in or. V. § 1 (bis), 5, 30, 34, 42 (bis), 47, 49, 51, 68, 78, 84 (bis), 86, 91, 92 (bis), et in or. VI. § 7, 13, 23, 28 (bis), 34. Praeterea invenimus V, 3 *πολλοὶ μέν — πολλοὶ δέ*. V. 12 *ἀνώμοτος μέν — ἀνώμοτος δέ*. V, 45 *νύκτωρ μέν — νύκτωρ δέ*. V, 50 *τότε μέν — τότε δέ*. V, 62 *ἐνταῦθα μέν — ἐνταῦθα δέ*. V, 62 *ἀπεστέρει μέν — ἀπεστέρει δέ*. V, 80 *ἐὰν μέν — ἐὰν δέ*. V, 64 *εἰ μέν — εἰ δέ* et eadem verba V, 91 et VI, 23. VI, 30 *ὅπου μέν — ὅπου δέ*. VI,25 *ἐξείη μέν — ἐξείη δέ*.

Restant verba *τοῦτο μέν — τοῦτο δέ*, de quibus Spengelius (m. rh. 17 p. 167) haec dicit: „Von den in den andern drei reden dem Antiphon gebräuchlichen eigenheiten wird man hier (in tetralogiis) nichts finden; nichts von dem dort so häufigen *τοῦτο μέν — τοῦτο δέ*". Tamen ne unum quidem orationis VI. exemplum afferre potest. Tum errat in enumeratione exemplorum; negligit enim or. I, 1 verba: *τοῦτο μὲν εἰ ἐπισκήψαντος — τοῦτο δὲ εἰ ἐπεξιόντι* sqq., et V, 54: *τοῦτο μὲν ἄν τις — τοῦτο δὲ βραχὺ ἦν* sqq. Tum in or. V, 5 non bis sed semel tantum inveniuntur verba *τοῦτο μέν — τοῦτο δέ*, et in or. I, 11 denique sibi respondent verba *τοῦτο μέν — δέ* (cf. p. 30 et Sauppii ep. cr. p. 28).

Rarissime in or. V. particula *δέ* bis, nullo loco saepius, posita est una praemissa particula *μέν* (cf. p .30 sq.) V, 40 *πρῶτον μέν — ἐπειδὴ δέ — ἐπειδὴ δέ*. V, 55 *τότε μὲν γάρ — ἐπειδὴ δέ — ἐπειδὴ δέ*. Aliter verba comparata sunt, quae leguntur V, 42 *τοῖς μὲν πρώτοις — τοῖς δ'ἐπὶ τοῦ τροχοῦ λεγομένοις οὓς* sqq. *τούτοις δὲ διεφέρετο*, nam hoc loco altera particula nihil novi affertur, sed particula *δέ*, quae est in protasi, repetitur in apodosi. Si autem Reiskium sequimur alius locus huc pertinet V, 78 *τοὺς μέν — τοὺς δέ* (quod Reiskius inseri vult) — *τοὺς δέ*.

In or. VI. simile quid nobis non occurrit.

Etiam variis illis particulorum *μέν — δέ* implicationibus

in or. V. et VI. nihil respondet, nisi quod duobus or. V. lo
cis haec orationis forma apparet (V, 79, 80):

μέν — μέν — δέ — δέ

Quod orationum discrimen facillime explicari potest ea
re, quod tetralogiae non ad usum forensem sed exercitationis
causa, hae vero orationes eo consilio, ut in judicio diceren-
tur, scriptae sunt.

Particulae μέν saepius non respondet particula δέ, sed
alia quaedam, vel omnino nulla: V, 10 πρῶτον μέν — ἔπειτα
et eodem modo sequitur simpliciter ἔπειτα V, 18; VI, 8, 11,
19. V, 14 et VI, 2 ὑπάρχει μέν — ἔπειτα. V, 8, 9, 21;
VI. 15, 12 πρῶτον μέν, cui alterum membrum non respondet.
V, 19 μέν — μέντοι, quae particularum responsio saepius
invenitur (cf. p. 52); V, 86; VI, 3, 18, 22. V, 52 μέν
— καίτοι. VI, 14 Conjunguntur particulae μέν – καί, qua de
anacoluthia dicit Hermannus ad Vigerum p. 839. V, 57 et
25 μέν—ἀλλά.

Saepius particula μέν in apodosi iterum posita est (cf.
p. 32): V, 30, 54; VI, 9. In omnibus exemplis particula
δέ semel tantum posita sequitur.

Praeterea et in tetralogiis et in ceteris orationibus non-
nulla exstant exempla, ubi enunciato, cui particula μέν addita
est, alterum enunciatum omnino non respondet. Ad unum
horum exemplorum adnotat Maetznerus (p. 153): „aut pror-
sus omissum est membrum e sententiarum nexu supplendum,
aut immutata orationis forma, iis ipsis, quae sequuntur, inest
sententia opposita (cf. p. 32 et 34, ubi huius generis exem-
pla attuli), aut denique propter enunciata cum eo membro,
in quo μέν particula infertur, conjuncta illudque amplificantia,
orationis principium dicentis vel scribentis animo excidit".
Sed rectius Baeumleinius (l. c. p. 152), e Platonis Critone
43 D verba afferens: οὔτοι δὴ ἀφῖκται, ἀλλὰ δοκεῖ μέν μοι
ἥξειν τήμερον: „Der gegensatz gegen οὐ — ἀφῖκται wird
durch ἀλλά ausgedrückt; μέν dient, um δοκεῖ zu bestätigen
und hervorzuheben. Stallbaum bemerkt zwar hier und zu

de rep. I, 334 C: εἰκὸς μέν, IV, 423 B: οἶμαι μέν, wenn dem δοκεῖ μέν, οἶμαι μέν. εἰκὸς μέν kein δέ entspreche, so sei ein σαφῶς δ' οὐκ οἶδα u. dgl. zu suppliren; indessen so gerne wir zugeben, dass ein durch μέν hervorgehobenes δοκεῖ ect. einen latenten gegensatz in sich schliessen kann, so müssen wir doch daran festhalten, dass μέν nicht notwendig einen folgenden gegensatz bedingt, sondern einfach die aussage und speciell den voranstehenden begriff versichert". Similiter dicit Rostius (Ueber ableitung, bedeutung und gebrauch der partikel οὖν p. 7): Bei dem absoluten (ausser correspondenz mit andern partikeln gebrauchten) μὲν οὖν ist μέν als abgeschwächte form für μήν zu betrachten, so dass sich für μὲν οὖν die übersetzung »gewiss und wahrhaftig; ganz gewiss« ergiebt". Sed ipse Maetznerus adnotans ad Aβ 5 (p. 153), voculae μέν potestatem proxime accedere ad γέ particulae vim et Hartungius, qui dicit (l. c. II p. 412): „dieses elliptische μέν tritt namentlich in einigen bestimmten verbindungen auf, wo dasselbe mit γέ sehr nahe verwandt erscheint", demonstrant, de ellipsi cogitari non posse. Nam rectissime Hermannus ad Vigerum p. 822 adnotat: „Quamquam et μέν et γέ plerumque per quidem exprimi possunt, tamen ipsae inter se multum differunt. Utraque restrictiva est, sed μέν ad totas enunciationes, γέ ad partes enunciationum spectat. Deinde μέν excludit alia, γέ non excludit, sed ita tantum distinguit, ut id, quod distinguitur, eminere ante alia significetur. Hinc μέν habet particulam δέ, quae ei opponatur; γέ nullam habet particulam oppositam." Quod si recte expositum est, apparet, eis locis, ubi particula μέν proxime accedat ad particulae γέ vim, illam accipiendam esse pro attenuata particulae μήν forma, quae habeat attenuatam quandam gravioris illius formae vim. Quod quam verum sit optime intelligimus e comparatione horum locorum: V, 14 καίτοι τούς γε νόμους οἳ κεῖνται sqq. et VI, 2 καὶ τοὺς μὲν νόμους οἳ κεῖνται sqq. Haec verba ex eodem loco communi desumpta esse et eandem fere sententiam praebere in aperto est; itaque posteriora verba non magis quam priora oppositionem quandam desiderant. Cetera exempla invenies: Aδ 4; Bγ 1; Γα 1; Bα 1; Γβ 2; I, 25; Γβ 5.

Praeterea Maetznerus huc pertinere dicit (l. c. p. 153) *Aβ* 5: τὸ μὲν γὰρ μὴ ἐκδυθῆναι οὐδὲν σημεῖόν ἐστιν. Sed his verbis optime opposita sunt in § 6 verba: εἰ δὲ καὶ μὴ (pro codd. lectione μὴ καί conjecit Reiskius) ἐπὶ τοῖς ἱματίοις διεφθάρη sqq.

Omnia vero illa exempla ita sunt comparata, ut oppositio quaedam non desideratur. Et eodem modo res se habet in orationis V. et or. VI. exemplis: V, 9, 36. Formulam καὶ μὲν δή, quae legitur V, 51 et 63 Baeumleinius bene ita explicat (p. 163): „das versichernde μέν verbindet sich mit der partikel der objectiven gewissheit". Restant verba VI, 14 καθειστήκει μὲν ἡ χορηγία οὕτω. καὶ τούτων εἴ τι ψεύδομαι προφάσεως ἕνεκα ἔξεστι τῷ κατηγόρῳ ἐξελέγξαντι (sic cum Blassio lego) ἐν τῷ ὑστέρῳ λόγῳ ὅτι ἂν βούληται εἰπεῖν. ἐπεί τοι οὕτως ἔχει, ὦ ἄνδρες. Sententia verborum καθειστήκει μὲν ἡ χορηγία οὕτω repetitur verbis ἐπεί τοι οὕτως ἔχει, unde apparet, etiam hoc loco particulam μέν habere vim affirmativam.

In verbis Aα 7 ἤλπιζέ τε τάδε μὲν δράσας καὶ λήσειν καὶ sqq. iam supra (cf. p. 10) offendi; nam particula μέν hoc loco bene explicari non potest. Maetzneri enim explicatio, qui putat Antiphonti observatam esse hanc sententiam: „εἰ δὲ μή, καὶ ἁλώσεσθαι καὶ ἀτιμώρητος διαφθαρήσεσθαι" ferri non potest, quia eiusmodi explicandi ratio contra ipsam tetralogiarum naturam pugnat, quod iam alio loco contra clarissimum hunc virum monui (cf. p. 11). Tum etiam μέν pro μήν accipi nequit. Accedunt denique ea, quae p. 10 sq. de toto hoc loco diximus. Quare iterum propono conjecturam ἤλπιζέ τε γὰρ τάδε δράσας.

Addo denique pauca de collocatione particulae μέν, quae paucis locis non suum tenet locum. V, 28 ἐν μὲν ᾧ (cf. antea § 22 ἐν ᾧ μέν). V, 32 εἰ ἐγὼ μέν — νῦν δέ (cf § 38 εἰ μὲν ἐγώ — νῦν δέ). V, 42 ἐν τῇ γῇ μέν.

Duobus locis codices inter se discrepant: V, 29 In N scriptum est: ἐπειδὴ δὲ ἐγὼ μὲν φροῦδος ἦν; in ceteris autem codicibus: ἐπειδὴ δὲ ἐγὼ φροῦδος μὲν ἦν. Et VI, 25 praebet N: ὅπου εἶεν μὲν ἐλεύθεροι πολλοὶ οἱ συνειδότες, εἶεν δέ sqq. ceteri codices: ὅπου εἶεν ἐλεύθεροι μέν sqq.

Caput III.

De particula *οὖν*.

Particula *οὖν* nulla alia particula adjecta in tetralogiis codicum autoritate his locis invenitur: Aα 2; Aα 11; Aγ 11; Aδ 12; Bγ 11; Bβ 12; Bγ 12; Bδ 9; Γβ 9; Γδ 11. Quibus decem exemplis omnibus adhortatio judicum continetur. Praeterea uno tantum loco particula *οὖν* ita tradita est, ut de eius veritate dubitari non possit Γα 2 *ὅστις οὖν τούτων ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἀξιωθέντων* sqq. (sic cum Sauppio cf. ind. schol. p. 15 sq.) Sed hoc exemplum, quod unum certum a mira illa dictionis constantia recedit, duos alios locos tuetur, ubi particula *οὖν* in codicibus corrupta est. Nam Bδ 9 in optimis codicibus (pr. A et N.) *οὖν* omittitur, cum deterioris generis codices praebeant: *οὐκ ἐὰν οὖν ἀπολύσητε ἡμᾶς,* Sed quo loco hi codices particulam *οὖν* habeant eam ferri non posse dicit Sauppius (ind. schol. p. 15), quare clarissimus ille oratorum graecorum emendator legi jubet *οὐκ οὖν ἐὰν ἀπολύσητε.* Altero vero loco Bγ 7 habentur in codicibus: *ὁ φόνος ὃν ἀνήκει εἰς τοὺς θεωμένους ἢ εἰς τοὺς παιδαγωγούς*; sed omnes editores mutarunt *ὃν* in *οὖν.*

Praeterea sola particula *οὖν* nusquam legitur.

In or. I. sola particula *οὖν* bis legitur in enunciatis, quae adhortationem continent: I, 21; 22; Quater invenitur in enunciatis interrogativis: I, 4; 7; 8; 26.

Praeterea particulam *οὖν,* nulla alia particula addita, octies invenimus I 10, 12, 14, 16 (bis), 17 (bis) 25.

In tetralogiis particula *οὖν* uno loco Aα 2 pronomini *ὅτι* adhaeret. Neque saepius legitur particularum conjunctio *γοῦν* Bγ 12 In or. I. semel est *εἰ οὖν* I, 15, et ter *πῶς οὖν* I, 7, 8, 26.

Particularum *μὲν οὖν* conjunctionem bis supra tetigimus (cf. p. 29 et p. 34). Cetera exempla, quae nondum attulimus (Aβ 4, 12; Bα 1, β 3, δ 8; Γα 5, β 8, γ 6, δ 1, 5 ita sunt comparata, ut facile intelligatur, particulas illas „in

continuando sermone cum quadam conclusionis significatione esse usurpatas" (Hermannus ad Vigerum p. 842). Huc quoque pertinet ex or. I. exempla § 13, 20, cum verba, quae leguntur I, 31, ad eum usum respiciant, quem p. 29 commemoravimus.

In or. VI. sola particula *οὖν* raro nobis occurrit; ter legitur in enunciatis interrogativis (§ 34, 45, 51) et semel in enunciato relativo (§ 42).

In or. V. saepius reperitur: ter in enunciatis, quae adhortationem continent (46, 71, 80), bis in enunciatis interrogativis (§ 28, 50), praeterea quinquies (§ 3, 4, 6, 35, 66). Tum legimus: V, 67 *οὔκουν*. V, 68 *εἰ οὖν*. V, 76 *ὅμως δ' οὖν*. VI, 1 *γοῦν*.

Particularum *μὲν οὖν* conjunctio reperitur in or. V. duodecies, in or. VI. sexies. Atque saepius particulae *μὲν οὖν — δέ* in transitionibus usurpantur: V, 7; 64; 81; 85. VI, 16; 33.

Ceteris locis particulae *μὲν οὖν* in oratione continuanda usurpantur. (or. V. 8, 33, 37, 64, 76, 79, 94, 96; or. VI. 3, 12, 15, 18.)

In or. VI. § 13 Reiskius legi jubet: *καθειστήκει μὲν οὖν ἡ χορηγία οὕτω*, cum in codicibus *οὖν* omissum sit, sed vide, quae de hoc loco exposui p. 36.

Caput IV.

De particula *μήν*.

Huius particulae usum antiphonteum paucis verbis absolvere possumnus. Atque primum quidem monendum est, illam in oratione I. et in oratione VI. ne semel quidem inveniri. In tetralogiis autem raro legitur. Haec habeo exempla: Αα 4 *οὔτε γὰρ κακοῦργος εἰκὸς ἀποκτεῖναι — οὐ μὴν οὐδὲ παροινήσας οὐδεὶς διέφθειρεν αὐτόν. — οὐδὲ μὴν οὐδ' ἐκ λοιδορίας — οὐδὲ μὴν ἄλλου στοχαζόμενος ἔτυχε τούτου*. Et Αγ 5 *οὐδὲ μὴν ἀπογενέσθαι ἢ παραγενέσθαι εἰκότερον αὐτόν ἐστιν*.

Praeterea particula *μήν* nusquam reperitur. Oratio V. vero simili dictionis constantia usa, quinquies particulas *καὶ μήν* conjunctas praebet: V 44 *καὶ μὴν πολλῷ πλέον γεγωνεῖν ἔστι νύκτωρ ἢ μεθ' ἡμέραν, ἐπ' ἀκτῆς ἢ κατὰ πόλιν· καὶ μὴν ἔτι ἐγρηγορότων φασὶν ἐκβῆναι τὸν ἄνδρα ἐκ τοῦ πλοίου.* Sic dedi hunc locum cum Cobeto, qui codicum verba *γε ἀγνοεῖν* optime mutavit in *γεγωνεῖν*. Quod vero Briglebius contra hanc Cobeti conjecturam dicit (l. c. p. 15): „Cobet nov. lect. Lugd. Bat. 1858 conjicirt *γεγωνεῖν*, was jedoch vorzugsweise ein dichteriches wort ist", nihil valet; nam satis constat, Antiphontem multa e poetarum carminibus petivisse (cf. Ottsen de Antiphontis verborum formarumque specie p. 9 sqq.).

Tum legimus: V, 91 *καὶ μὴν εἰ δέοι ἁμαρτεῖν τι τὸ ἀδίκως ἀπολῦσαι ὁσιώτερον ἂν εἴη τοῦ μὴ δικαίως ἀπολέσαι* (sic lego cum Blassio).

Ad particulas *καὶ μήν* accedit particula *γέ*, sed ita, ut ea vox, quae particula *γέ* efferatur, media interposita sit, V, 28 *καὶ μὴν εἰκός γε ἦν*, V, 92 *καὶ μὴν τὴν ἴσην γε δύναμιν ἔχει*

Uno autem loco particulae *ἦ μήν*, quae saepissime apud alios scriptores in initio jurisjurandi positae sunt, (cf. Hartungius l. c. II p. 376 et Baeumleinius l. c. p. 155), leguntur: V, 11 *τοῦτο δὲ δέον σε διομόσασθαι ὅρκον τὸν μέγιστον καὶ ἰσχυρότατον ἦ μὴν μὴ ἄλλα κατηγορήσειν ἐμοῦ* sqq.

De particula *ἦ* addere mihi liceat, illam praeterea apud Antiphontem non inveniri.

Caput V.

De particulis *δή*, *δῆτα*, *δή που*, *ἐπειδή*.

Tetralogiae particulam *δή* saepius praebent. Ita legimus Tγ, 2 *μάθετε δὴ πρῶτον μέν* sqq., quo loco vis imperativi particula *δή* augetur.

Bβ 1 Oratio incipit: *νῦν δὴ φανερόν μοι ὅτι αὐταὶ αἱ συμφοραί* sqq. Temere, opinor, Lindnerus de hoc loco dicit (l. c. p. 38): „fieri non potest, ut oratio a *νῦν δή* incipiat. *νῦν δέ* sine dubio legendum est." Nihil profecto melius dici

potuit quam νῦν δή; nam cum antea reo in mentem non venerit, rem ita se habere, iam, accusatione facta, rem ita esse intelligit. Itaque, ut saepissime fit, particula δή particulae νῦν addita est. Particula δή, cum locum proprium habeat post illam vocem, quam premit, interdum alia quadam particula ab illa voce sejungitur. Ita invenimus: Aδ 2 καινότατα γὰρ δὴ διαβάλλουσί με; nam δή pertinet ad superlativum καινότατα.

Unus codex N, cuius lectionem Maetznerus et Blassius receperunt, praebet Bδ 8 κεκολασμένου δὲ τοῦ ἀποκτείναντος οὐκ ἀτιμώρητος ὁ φόνος ἐστίν, ἔχοντος γε δὴ τὴν δίκην τοῦ φονέως; ceteri codices particulam δή omittunt.

Cum praeterea nullum exemplum inveniatur, videmus, parvam esse huius particulae in tetralogiis provinciam, praesertim cum etiam eae particulae, quae cum hac particula compositae sunt, cogito de δῆτα, δή που, ἐπειδή, non usurpatae sint. Neque vero in oratione I. res aliter se habet; nam duobus tantum locis legimus δήπου, qua de particula infra agemus.

Multo autem frequentiorem particulae δή usum invenimus in orationibus V. et VI. Atque primum quidem simplex particula his locis reperitur: V, 36 φέρε γὰρ δὴ ποτέρῳ νῦν χρήσονται τῶν λόγων. Notissima est exhortationis forma, φέρε δή quam hoc loco habemus, ita tamen, ut particula γάρ media sit interposita. (De particulis γὲ δή conjunctis vide supra et p. 44). Cum particula μέν particula δή tribus locis conjuncta est V 51, 63. (De his duobus locis cf. p. 36.)

Aliter tertius locus comparatus est; nam ibi pertinet particula δή non ad particulam μέν, sed ad vocem οὑτωσί, a qua voce particula μέν sejungitur; particulae μέν autem respondet particula μέντοι: V, 19 οὑτωσὶ μὲν δὴ πολλοῖς ἐλασσωθεὶς τῶν νόμων — ὅμως μέντοι sqq.

Tum legimus particulam δή post adjectivum positam: V, 15 σὺ δὲ μόνος δή sqq.; significat vero μόνος δή germanice: ganz allein. Deinde: V, 82 πολλοὶ δή καταφανεῖς ἐγένοντο. Unus codex N praebet: V, 73 κρεῖσσον δὴ χρὴ ἀεὶ γίγνεσθαι τὸ ὑμέτερον δυνάμενον sqq., ceteri codices omnes habent: κρεῖσσον δέ, quod omnes editores retinuerunt.

Pronomen demonstativum saepius particula δή premitur:

V, 38 *αὐτοὶ δὴ τούτοις ἰσχυροτάτοις εἰς τὰ πράγματα ἐχρῶντο*, quae verba Spengelins mutari jubet in *αὐτοῖς ἂν τούτοις*. Sed quamquam concedendum est, particulam *ἄν* in codicibus deesse, quod iam Sauppins in editione Turr. adnotavit, tamen particulam *δή* servandam esse demonstrare videntur ea verba, quae his verbis respondent: *ἐμοὶ δή που κατὰ τούτων* sqq.

Tum legimus: VI, 34 *τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ᾗ ἐξεφέρετο ὁ παῖς, ταύτῃ δὴ πεπεισμένοι ἦσαν* sqq. Cum his verbis confero eiusdem orationis locum § 41 *καὶ πρῶτον ἃ τοῦ βασιλέως κατηγοροῦσι καὶ διὰ τὴν ἐμὴν σπουδὴν οὔ φασιν ἐθέλειν αὐτὸν ἀπογράφεσθαι τὴν δίκην, τοῦτο δὲ κατ' αὐτῶν τούτων ἔσται τεκμήριον.* Sic scriptum est in codicibus. Sed consentio cum Baitero, qui particulam *δέ* post *τοῦτο* mutari jubet in *δή*. Quae conjectura etiam tertio huius orationis loco firmatur § 38 *ἐπειδὴ δὲ αὐτοῖς ὁ βασιλεύς τε νόμους ἀνέγνω, καί* — — *τότε δὴ προσιόντες* sqq.

Restant verba V, 90 *ἔξεστι ὅτι δὴ βούλεσθε* (cf. Sauppius ind. schol. p. 13).

In codicibus denique optimis legimus V, 49 *σκοπεῖτε δή* (in ABN); tamen particulam *δή* ferri non posse viderunt omnes editores; nam ipso illo imperativo transit orator ad novam orationis partem, quare particula *δή* desideratur.

Omnia exempla, quae attuli, inveniuntur in enunciatis affirmativis; in enunciatis negativis sola particula *δή* uno loco, de quo postea agendum erit, reperitur, praeterea autem aut *δῆτα* aut *δή που* usurpatur. Atque primum quidem *δῆτα* invenitur V, 63: *οὐ δῆτα*, quibus verbis sibi interroganti orator respondet, (germanice: ganz und gar nicht). Tum legimus VI, 15: *οὐ δῆτα ἔγωγε*, quibus verbis negatio, quae iam in verbis antecedentibus continetur, summa vi iteratur. In tetralogiis et in or. I. hanc particulam non inveniri, iam supra commemoravimus.

Particulam *δήπου*, vel potius conjunctas particulas *δή που* in enunciatis negativis legimus. V, 85; 24; VI, 42.

Ter particulae *οὐ γὰρ δή που* conjunguntur. I, 28; V, 43; 63.

In or. VI, 10 omnes codices et omnes editiones praebent: *οὔτε γὰρ δὴ οὐ ἡ πόλις ἐλάμβανεν ἂν δίκην εἴ τι ἠδίκητο* sqq. — *οὔτε ὅστις* — *πιστεῦσαι δή που αὐτῷ ἀξιώτερόν ἐστιν ἤ*

ἀπιστῆσαι. Sed ego non dubito, etiam in priore membro scribendum esse δή που pro codicum lectione δή. Primum enim alterum membrum, quod priori respondet, particulas δή που praebet, tum cetera enunciata negativa amnia δή που ostendunt, denique facillime intelligitur, quomodo particula που ante vocem οὐ excidere potuerit.

In enunciatis affirmativis δή που non invenitur nisi post pronomen personale primae personae. I, 11; V, 38; VI, 4.

Particula ἐπειδή in tetralogiis non exstat. In or. I. autem sexies reperitur. I, 11; 15; 17 (bis) 18; 20.

Omnibus locis significatio temporalis in aperto est, quae eadem in omnibus orationis quintae exemplis apparet. Tamen magnum aliquid interest inter orationis I. et or. V. usum. Nam cum or. I. et collocationis et conjunctionis varietatem quandam praebeat, or. V. mira et collocationis et conjunctionis constantia utitur. Legimus enim: V, 23 ἐπειδὴ δὲ μετεξέβημεν sqq. 24 ἐπειδὴ δὲ ὁ ἀνὴρ οὐκ ἐφαίνετο sqq. 25 ἐπειδὴ δὲ ἐχὼ ᾠχόμην sqq. 29 ἐπειδὴ δὲ ἐγὼ φροῦδος ἦν sqq. — καὶ ἐπειδὴ τὸ αἷμα (ABNZM, vulg. τι αἷμα) sqq. — ἐπειδὴ δὲ αὐτοῖς τοῦτο οὐκ ἐνεχώρει sqq. 33 ἐπειδὴ δὲ ἐγίγνωσκεν sqq. 37 ἐπειδὴ δὲ ἀπώλλυτο sqq. 40 ἐπειδὴ δὲ ἐπὶ τὸν τροχὸν ἀνέβη sqq. 41 ἐπειδὴ δὲ ἐπαύσατο βασανιζόμενος sqq. 55 ἐπειδὴ δὲ ὁ ἄνθρωπος ἔλεγε sqq. 55 ἐπειδὴ δὲ ἀνεγνώσθη. 76 ἐπειδὴ δὲ ἡ πόλις ὅλη κακῶς ἐβουλεύσατο sqq.

Duo tantum exempla ab hoc usu recedunt V, 22 et V, 23.

Una oratio VI. et temporalem et causalem particulae significationem ostendit. Atque prioris generis exempla invenies: VI, 11; 21; 38; 42; 44; posterioris: VI, 12 et 40. Praeterea or. VI. eadem particulae mobilitate atque or. I. utitur.

Addo pauca de particula ἐπεί, quae in tetralogiis et in or. I. non invenitur et in ceteris orationibus raro exstat. Ut ἐπειδὴ δέ dicitur ἐπεὶ δέ tribus locis: V, 77; VI, 12; 27.

Praeterea legimus in or. V. bis ἐπεί — γέ § 50, 63.

In or. VI. autem bis conjunctas reperimus particulas ἐπεί τοι § 9, 14 de quibus conferas p. 49.

Caput VI.

De particula γέ

Particula γέ neque in tetralogiis neque in or. I. bene servata est. Nam permulta exempla ita tradita sunt, ut aut de ipsius particulae aut de eorum verborum, quibuscum conjuncta est, veritate dubitari possit. Sed priore loco dicturi sumus de eis exemplis, quae non corrupta sunt.

Particula γέ cum pronominibus ἐγώ et ἐμοί ita se conjungit, ut mutato accentu una vox ἔγωγε et ἔμοιγε efficiatur, quae voces et in tetralogiis et in or. I. saepius nobis occurrunt. Ita legimus ἔγωγε Aβ 11; Bβ 3; Γβ 2 et I, 1; 5; 13; 28; ἔμοιγε invenitur: Bγ 7 et I, 12.

Particula γέ accedit ad pronomen demonstrativum uno loco I, 6.

Saepius invenitur in enunciatis relativis I, 7 (bis) et I, 26.

Interponitur particula γέ inter articulum et substantivum vel inter praepositionem ac nomen pronomenve his locis: Aγ 2; Bβ 3; I, 7; I, 28.

Praeterea legimus: Bβ 1 εἰ μὴ πολύ γε ἐψευσμαι. Adverbium πολύ particula γέ distinguitur atque premitur. I, 11 καίτοι εὖ οἶδά γ' εἰ sqq. quibuscum verbis conferenda sunt (§ 13): ἔγωγ' εὖ οἶδα.

Denique invenitur particula γοῦν Bβ 12.

Cetera exempla omnia in codicibus plus minusve corrupta sunt. Bγ 1 ἥκιστα γὰρ ἔν γε τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ ἀνειδῆς ὢν νῦν sqq. Pro γέ est in pr. A τέ, cui tamen lectioni nihil tribuendum est. Aγ 6 Cod. N: μὴ παραχθῆναι δὲ τὴν γραφὴν οὐδεμίαν ἐλπίδα εἶχε τούτου γε ζῶντος; ceteri codd.: οὐδεμίαν ἐλπίδα γ' εἶχε τούτου ζῶντος. Utraque lectio ferri potest. Γδ 3 Est in A (fort. corr.) ἀνόσια γὰρ (ἂν) ὅ γε διωκόμενος πάθοι; in N vero scriptum est ὅ, τε, in B: ὅ τε, vulg. ὅδε. Maetznerus scripsit ὁ διωκόμενος, Turicenses et Blassius receperunt e codice A ὅ γε διωκόμενος. Γδ 5 Codices praebent: τὸν δὲ θάνατον πῶς ἂν ἐπεβούλευσεν,

ὅν γε ἀκουσίως ἐπάταξεν; sed legendum est ὅς γε, quod viderunt Sauppius et Frankius. Aδ 7 Est in codd. ἀκινδύνως τε οὗτός γε μέλλων μαρτυρεῖν, quae verba in capite primo pag. 11 tractavimus; scribendum est ἀκινδύνως δὲ οὗτός τε sqq. Bβ 6 Habetur in codd. ἀκουσίου δὲ τοῦ φόνου ἐξ ἀμφοῖν ὑμῖν ὁμολογουμένου γενέσθαι, ἐκ τῆς ἁμαρτίας, ὁποτέρου αὐτῶν ἐστίν, ἔτι δὲ σαφέστερον ἂν ὁ φονεὺς ἐλεγχθείη; sed optime mutavit Sauppins particulam δέ post ἔτι, quae ferri nullo modo potest, in γέ. Bδ 8 Unus codex N. conjunctas habet particulas γὲ δή cf. p. 40.

Codices A et N particulam γέ singulari modo usurpatam praebent I, 6: καὶ τοῦτό γ' ἐρεῖ ὡς εὖ οἶδεν ὅτι γ' οὐκ ἀπέκτεινεν ἡ μήτηρ, cum ceteri codices alteram particulam γέ omittant. Maetznerus quidem et Blassius eam receperunt et Frankius defendit (cf. Neue jarbücher für philologie und paedagogik 1840 p. 56), quamquam ne uno quidem loco antiphonteo hunc particulae usum confirmare potuerunt.

Praeterea codices inter se discrepant I, 21, cum in N sit: ἐγὼ μέν γε τῷ τεθνεῶτι ὑμᾶς κελεύω τιμωροὺς γενέσθαι, in ceteris autem codd.: ἐγὼ μέντοι. Maetznerus, Frankius, Blassius codicis N lectionem laudaverunt, Turicenses, vulgatam secuti, scripserunt ἐγὼ μέν. Sed hoc quidem loco dubium esse non potest penes quos veritas sit; nam facile, ni fallor, demonstrabo, lectionem ἐγὼ μέν γε τῷ nihil esse nisi docti cuiusdam hominis conjecturam. Etenim si Antiphon scripsisset ἐγὼ μέν γε non intelligeretur, quomodo ceterorum codicum depravatio μέντοι oriri potuisset; nam particulae γέ et τοί, quod attinet ad scripturam, multum distant. Contra optime intelligimus, unde τοί natum sit, si ex horum ipsorum codicum lectione proficiscimur. Nam tum videmus, τοί nihil esse nisi dittographiam antiquissimis temporibus natam i. e. ante annum quadringentesimum quartum a. Chr. n.; nam ante Euclidem archontem dativus articuli scribebatur TOI, quae vox bis posita illorum codicum lectionem μέντοι τῷ efficit Scripsit igitur Antiphon simpliciter ἐγὼ μὲν τῷ, tum vero dittographia lectio ἐγὼ μέντοι τῷ orta est, quam cum non intelligeret codicis N auctor mutavit in ἐγὼ μέν γε τῷ.

Alio autem loco nemo codicis N lectionem defendi

posse putat: I, 25 ἤδη γ' οὖν ἀξιῶ, ubi ceteri codices recte praebent: ἤδη οὖν ἐγώ.

Duobus vero locis codex N particulam γέ male omittit: I, 13 ἀλλ' οὐκ ὑμεῖς, ὦ ἄνδρες pro ὑμεῖς γε (cf. V, 86 μὴ ὑμεῖς γε ὦ ἄνδρες). Et I, 23 τούτου ἕνεκα pro τούτου γε ἕνεκα.

De collocatione denique verborum codices discrepant I, 29 nam cum N habeat: οὐδὲν ἴσασι πρὶν γ' ἤδη ἐν αὐτῷ ὦσι τῷ κακῷ, in ZM scriptum est: ἴσασί γε πρὶν ἐν αὐτῷ ἤδη τῷ κακῷ et vulgata praebet: οὐδὲν ἴσασι πρὶν ἐν αὐτῷ ὦσι τῷ κακῷ γ' ἤδη.

In or. V. et VI. particula γέ multo melius servata est. Atque primum invenitur forma ἔγωγε V, 52, 67; VI, 15; ἔμοιγε nusquam legitur.

Particula γέ cum pronomine demonstrativo duobus locis conjuncta est V, 63; 84.

Semel pronomen personale ὑμεῖς particula γέ effertur V, 86.

Tum bis legitur part. γέ in enunciatis relativis V, 41; VI, 26.

Ad aliam quandam vocem distinguendam atque premendam saepius usurpatur V, 10; 71; 78; 28.

Particulae καίτοι — γέ vel καίτοι γε nonnullis locis conjunctae leguntur eo discrimine, ut in prioris generis exemplis ea vox, quae media interposita sit, efferatur, in posterioris autem generis exemplis ipsa particularum notio acuatur (cf. Klotzius ad Devarium p. 654); cf. V, 14; 19; 61; 74; VI, 46.

Denique huc pertinent verba V, 24: καίτοι γέ οὐ δή που κατ' ἐμαυτοῦ μηνυτὴν ἔπεμπον. Sic omnes codices uno oxoniensi excepto, qui praebet: καίτοι οὐ δήπου γε sqq. Utrumque ferri potest (de particulis οὐ δή πού γε cf. Klotzius ad. Dev. p. 700).

Particulae μέντοι γε conjunguntur V, 19; VI, 3; μέν γε V, 14; δέ γε V, 67; εἴπερ γε V, 45; γὲ δή V, 57.

Saepius particula interponitur inter articulum et nomen: V, 14; 15; 50; 91; 95.

In or. VI. simile quid non invenitur.

Inter adjectivum et nomen particula γέ invenitur V, 92.

Praepositionem sequitur V, 8; 9; 63.

Ab hac vulgari particulae collocatione recedunt primum verba VI, 26: ἐξ ὧν γε (cf. I, 7 περί γ' ὧν). Tum vero maxime poetarum more usus scripsit Antiphon: V, 4 εἰκὸς γὰρ ἐν ἀνδράσι γε ἀγαθοῖς sqq. ἀνδράσιν ἀγαθοῖς unam tantum efficiunt notionem; quod si fit poetae saepius particulam γέ mediam interponunt (cf. Hartungius l. c. I. p. 414, qui nonnulla exempla collegit).

Denique ex or. VI. duae particularum conjunctiones afferendae sunt, quae in or. V. non leguntur: γοῦν et ἐπεί τοί γε καί quarum prior invenitur in § 1: τοῦτο γοῦν ὑπάρχειν; posterior in § 9: ἐπεί τοί γε καὶ δεινόν (sed vide p. 49).

Uno loco Sauppius particulam γέ restituit, de quo iam supra diximus p. 23. Etiam illum locum, ubi Cobetus particulam γέ delevit, iam commemoravimus p. 39. Restat igitur, ut eos locos afferamus, qui codicis N auctoritate particulam γέ praebeant, cum ceteri codices omnes eam omittant: V, 9 αὐτοὶ οὗτοι τούτου (γε) μάρτυρες γεγένηνται. Et V, 27 εἴπερ (γε) μὴ πάνυ πόρρω ἀπῆλθεν ἀπὸ τῆς θαλάσσης.

Haec habui, quae de particula γέ dicerem. Sed priusquam illam relinquimus, pauca contra Wagnerum addenda sunt. Dicit enim (l. c. p. 26) cum alia tum haec: „La particule γέ, qu'on rencontre trente et une fois (immo bis et tricies, neglexit enim particulam in § 61) dans l'Or. V, n'est employée que six fois (neglexit γέ in § 26) dans l'Or. VI," quibus verbis utitur ad sententiam suam confirmandam (studet enim demonstrare, or. VI. Autiphonti non esse tribuendam). Sed hi et similes, quos affert, numeri apud Antiphontem quidem nihil demonstrant, cum eius discrepantiae causa in ipsa Antiphontis scribendi ratione posita sit. Facile enim intelligimus, omnes orationes, etiam quintam, quam nonnulli homines docti unam dignam putant, quae Antiphonti tribuatur, minime esse elegantes atque perpolitas. Nam quae particula modo ei in mente erat, eam saepissime usurpavit, tum vero, quasi memoria eius objecta, omnino fere neglexit. Itaque in ipsa or. V. hanc ipsam particulam γέ per duodecim paragraphos (§ 29 — § 40) ne semel quidem legimus. Tum particula ἐπειδή in or. V. quindecies invenitur, tamen in

paragraphis 1—21 et 55—96 semel tantum exstat. Simili modo in or. VI. particula ἐπειδή in §§ 1—10 et 45—51 non apparet. Neque aliter res se habet in or. I., in qua omnia exempla continentur in paragraphis 11—20. Deinde legitur particula τοί quater deinceps in or. V. § 91, 94, 95, 96, praeterea semel tantum. In or. VI. usque ad paragraphum 33 sexies reperitur μὲν οὖν, nunquam sola particula οὖν; tum vero a § 34 res plane se convertit, nam μὲν οὖν ne semel quidem apparet, contra quater sola particula οὖν. Et, ut ex tetralogiis eiusdem rationis exempla afferam, quamquam in tetralogiis nihil ferre saepius invenitur quam particularum τέ—τέ responsio, tamen or. Bδ ne unum quidem exemplum praebet, quam rem iam Spengelius vidit atque monuit (cf. mus. rh. 17 p. 167). De cumulatione particulae δέ, quae in or. Aδ invenitur, supra copiosius diximus; contra in or. Γα ne uno quidem loco sola particula δέ usurpatur; (in ceteris orationibus totidem fere particulae δέ exempla quot particularum μέν—δέ inveniuntur). Quae cum ita sint, ex illa orationum discrepantia nullum argumentum contra originem et auctoritatem orationis sextae derivari potest.

Sed pergamus ad alia.

Caput VII.

De particulis τοί, καίτοι, μέντοι.

Particula τοί in codicibus male tradita est. Atque primum quidem in tetralogiis lectio eius loci, qui unus particulam τοί praebet, incerta est. Nam Γγ 5 ABN habent: εἰ δέ τοι καὶ ὑπὸ τοῦ ἰατροῦ ἀπέθανεν ὡς οὐκ ἀπέθανεν sqq. in ceteris autem codicibus scriptum est δ' ἔτι vel δέ τι (ZM). Reiskius et Stephanus invenerunt in codicibus δ' ἔτι, quam lectionem Reiskius (in ed. p. 644) his verbis comprobavit: „Stephanus volebat εἰ δέ τι, ego aliquando malebam εἰ δέ τοι; nunc vero censeo bene habere vulgatam.“ Tamen omnes recentiorum temporum editores optimorum codicum lectionem εἰ δέ τοι

receperunt. Sed nescio an justo jure fecerint, praesertim cum etiam particulae *καίτοι* et *μέντοι* in tetralogiis omnino non inveniantur.

Etiam in or. I. ille locus, qui unus particulam *τοί* praebet, corruptus est. Etenim omnes fere consentiunt verba: § 27 *οὔτω δέ τοι καὶ ἐλεεῖν ἐπὶ τοῖς ἀκουσίοις παθήμασι μᾶλλον προσήκει ἤ* sqq. sic ferri non posse. Reiskius adnotat (p. 618) „scabra et hiulca oratio"; et post hunc clarissimum virum Maetznerus, Schmittius, Lindnerus, Kayserus, Blassius lacunam statuerunt, alius alio modo explere studens (cf. ed. Bl. p. 10). Fortasse corruptela in ipsa particula *τοι* inest, quae praeterea nusquam in or. I. invenitur; (codicis N lectionem § 10 *τοι αὐτήν* in *τοιαύτην* esse mutandam viderunt Schoemannus, Frankius, probavit Sauppius cf. ind. schol. p. 14). Reiskius quoque in primis enunciati verbis haesit, adnotans „fortasse legendum est *οὐκ οἶδεν ὅτι συγγνώμην ἔχειν καὶ ἐλεεῖν?* vel *οὐχὶ δὲ καί?*

In or. V. pauca inveniuntur exempla, de quibus dubitari non potest. Ita particula *τοί* in apodosi cum asseverandi vi posita est: V, 48 *εἴπερ γὰρ καὶ μαρτυρεῖν ἔξεστι δούλῳ κατὰ τοῦ ἐλευθέρου τὸν φόνον καί — εἰκός τοι καὶ ψῆφον γενέσθαι περὶ αὐτοῦ ἦν.*

Frequentissimus graecae dictionis usus est, ut particula *τοί* pronominibus addatur (cf. Hartungius II p. 345 sq. et Klotzius ad Devarium p. 737). Ita legimus in or. V. § 96: *ταῦτά τοι δέομαι ὑμῶν* sqq.

Saepe numero apud omnes fere scriptores graecos particula *τοί* in sententiis communibus usurpatur. Sic etiam apud Antiphontem legimus: V, 95 *ῥᾷστον δέ τοί ἐστιν ἀνδρὸς περὶ θανάτου φεύγοντος τὰ ψευδῆ καταμαρτυρῆσαι.* (De hac Dobreei conjectura pro codicum lectione *ἀραῖς τῶν δέ τοι* vide Sauppii ep. cr. p. 27 et eiusdem ind. schol. p. 12).

Similiter particula *τοί* usurpata est in § 94; sed codices eodem modo inter se discrepant ac *Γγ* 5 (cf. p. 47), cum alii *τοί* alii *τί* praebeant. Reiskius in codd. invenit atque recepit V, 94 *οὔ τι τῶν ἐπειγομένων ἐστὶ τὰ πράγματα, ἀλλὰ τῶν εὖ βουλευομένων;* sed adnotavit: „malim *οὐχὶ* vel *οὔ τοι.*" Recentiores autem editores invenerunt in codicibus, quod

Reiskius recte conjecerat *οὔ τοι*, qua de lectione dubitari non potest.

Denique huc pertineret, si codicem N sequeremur, locus V, 72 *μέγα τοι ἡμέρα παρ' ἡμέραν γιγνομένη γνώμην, ὦ ἄνδρες, ἐξ ὀργῆς μεταστῆσαι* sqq. Ceteri codices praebent pro *τοί τέ*, quod ferri non potest, uno codice A excepto, qui habet *τί*, quod non minus bene dicitur quam *τοί*, quodque Bekkerus, Dobsonus, Turicenses receperunt.

Restant verba V, 91 *εἰ καὶ πάνυ τοι* (sic scriptum est in ABNZM); sed vulgata, quam omnes, uno excepto Blassio, qui illorum codicum lectionem recepit, secuti sunt, habet: *εἰ καὶ πάνυ τι*. Neutrum vero rectum esse optime demonstravit Sauppius, cum neque *πάνυ τι* neque *πάνυ τοι* nisi negatione addita unquam dictum esset. Itaque bene restituit: *εἰ καὶ μὴ πάνυ τι* (cf. Sauppii ind. schol. p. 11).

Una or. VI. particulam *τοί* bene servavit. Legimus enim duobus locis particulas *ἐπεί τοι* conjunctas: VI, 9 *ἐπεί τοί γε καὶ δεινόν* sqq. Et VI, 14 *ἐπεί τοι οὕτως ἔχει*. In priore exemplo particularum *ἐπεί τοί γε καί* conjunctio satis mira est. Nam Porsonus (ad Eur. Med. 675) negat, Atticis sic particulas *τοί γε* conjungere licuisse, et Euripidis locum suppl. 878, ubi vulgo legitur *ἐπεί τοί γ' οὐδέν* sqq. ex libris emendavit *ἐπεί τοι κοὐδέν*. Quo cum viro doctissimo consentit Stallbaumius (ad Plat. Hipp. maj. 288) et Hermannus (ad Vigerum p. 784), adnotans ad eum Demosthenis locum, quem Zeunius (ad Vigerum p. 403) ad hanc particularum conjunctionem confirmandam attulit, omittere quosdam codices particulam *γέ*. Et Sauppius hunc ipsum Demosthenis locum (Philipp. I. § 2) his verbis tractavit (cf. eius ep. cr. p. 47): „Cum vulgo legatur *ἐπεί τοί γε εἰ* in *ΣΓ* et bavarico est *ἐπεὶ εἴ τοι*. Sed Bekkerum feliciter conjecisse *ἐπεί τοι εἰ* scribendum esse, testatur 9 § 5, ubi Demosthenes iisdem fere verbis usus est.“ Videmus igitur saepius particulam *γέ* errore post particulam *τοί* insertam inveniri.

Quae cum ita sint, puto etiam hoc loco antiphonteo particulam *γέ* post *τοί* esse delendam.

Particula *καίτοι* in tetralogiis nunquam, in or. I. ter, in

or. V. duodevicies, in or. VI. septies invenitur. Omnia autem exempla ita sunt comparata, ut vis adversativa facile intelligi possit.

Orationis I. exempla haec sunt: I, 6 ἐν οἷς δ' οὐκ ἦν πυθέσθαι τοῦτο αὐτὸ προυθυμήθη. καίτοι ἐγὼ προὐκαλούμην ὅπως τὸ πραχθὲν ἦν καὶ τὸ ἀληθές, ἐπεξελθεῖν (sic cum Sauppio). I, 25 οὗτος δὲ τἀναντία sqq. — καίτοι πότερον δικαιότερον τὸν ἐκ προνοίας ἀποκτείναντα δοῦναι δίκην ἢ μή; hoc loco particula καίτοι indignationem quandam, ut saepe numero, exprimit. In eis verbis, quae restant: I, 11 καίτοι εὖ οἶδά γ' εἰ sqq. particulae καίτοι — γέ eo verbo, quod effertur, sejunctae sunt.

In or. V. et VI. simpliciter vis adversativa apparet in his exemplis: V, 13, 48, 53, 75; VI, 10, 43, 48.

Indignationis notio autem invenitur his maxime locis: V, 16, VI, 29, 32, 47.

De particulis καίτοι — γέ vel καίτοι γε vide p. 45. Omnia, quae ibi attuli, exempla inveniuntur in or. V.; in or. VI. autem ne uno quidem loco codices particulas καίτοι — γε vel καίτοι γε conjunctas praebent (quae res facillime eo explicatur, quod, ut supra vidimus, particula γέ raro tantum in or. VI. legitur); sed uno loco Reiskius, Bekkerus, Turicenses, Blassius illarum particularum conjunctionem conjectura restituerunt. Est enim in codicibus § 46 καὶ ἱκανά γ' ἦν ὑπομνῆσαι, quam lectionem illi mutaverunt in καίτοι ἱκανά γ' ἦν sqq. Frustra Maetznerus in commentariis p. 274 et Lindnerus (l. c. p. 64) codices defendere conati sunt, ille eo, quod particulae καί adversandi vim tribuit, hic Hesychii auctoritate nisus, qui καί γε interpretatus esset „καίτοι". Sed Maetzneri explicatio ferri non potest, quia particulae καί — γέ, quae saepissime apud scriptores graecos inveniuntur, semper ita sunt usurpatae, ut particula καί superioribus verbis aliquid adnectat, particula γέ autem rem additam premat atque efferat. Lindnerus autem non distinxit particulas καὶ — γέ a particulis καί γε, de quibus hoc loco omnino non agitur. Praeterea confero verba VI, 48 καίτοι ἱκανὰ ἦν.

Saepius accuratius videre debemus, ut particulae vim atque totum verborum nexum recte intelligamus. Ita verba

V, 40 καίτοι σκέψασθε ὅτι πρῶτον μέν sqq. cum eis, quae antecedunt, ita fere conjuncta sunt. Postquam reus accusatorum contentionem, servum se necis adjutorem indicasse, eo repulit, quod dixit, servum nihil testimonio confirmasse, nisi se et reum et hominem interfectum e navi eduxisse et illum ab reo interfectum in mare dejecisse. Huic falso servi testimonio reus id, quod servus tormentis nondum adhibitis dixit, his verbis opponit: καίτοι σκέψασθε ὅτι πρῶτον μέν, πρὶν ἐπὶ τὸν τροχὸν ἀναβῆναι sqq.

Paulo post in § 42 reus affirmat, hominis liberi testimonio semper se esse liberatum, tum vero, in § 43, demonstrare studet, etiam probabilia (τὰ εἰκότα) se crimine solvere, ad quod faciendum his verbis transit V, 43 καίτοι τὸ εἰκὸς συμμαχόν μοί ἐστιν· οὐ γάρ sqq. Optime, puto, hoc loco Baeumleinii verba de particulae καίτοι usu (l. c. p. 245) quadrant: „Theils führt es einen Fortschritt der Rede (namentlich der logischen Entwicklung) eine neue Behauptung ein und macht es als etwas unbestrittenes geltend."

Paulo aliter res se habet in verbis, quae leguntur in § 17 huius orationis, ubi haec potius Baeumleinii verba quadrare videntur: „Theils leitet es in argumentationen dem beabsichtigten Schluss entgegen." Nam hoc loco reus queritur, quod vinctus sit contra leges, idque tribus argumentis ita demonstrat: vades dare volui; ceterorum sociorum quicunque vades dedit, nemo unquam vinctus est; eadem lege utuntur hi judices, quod tertium argumentum his verbis affert V, 17 καίτοι οἱ ἐπιμεληταὶ τῶν κακούργων τῷ αὐτῷ χρῶνται νόμῳ τούτῳ, ὥστε sqq. Cum hoc exemplo conferri possunt verba V, 55.

De verbis denique, quae leguntur in or. V. § 91: καίτοι οὔπω τοῖς ἐξαπατηθεῖσι μετεμέλησεν, εἰ καὶ μὴ πάνυ τι χρή, τούς γε ἐξαπατῶντας ἀπολελυκέναι, copiosius egit Sauppius (ind. schol. p. 11 sq.), cui haec loci sanatio debetur.

Particula μέντοι multo rarius legitur, nam in tetralogiis et in or. I. omnino non usurpata est et in or. V. et VI. trina tantum exempla exstant.

Atque maxime particulae μέντοι vis perspicua fit ex hoc

loco antiphonteo: V, 75 εἰ μέν — νῦν δέ — ὅμως μέντοι οὐ προδώσω τὸν πατέρα. καίτοι τάχ' ἂν σφαλείην — ὅμως δ'οὖν κεκινδυνεύσεται. Nam inter ὅμως μέντοι et ὅμως δέ id tantum interesse videtur, ut ὅμως μέντοι maiore quadam vi oppositionem significet quam ὅμως δέ. Itaque facilis explicatu res est, quod in ceteris exemplis omnibus particula μέντοι particulae δέ locum tenens particulae μέν respondet. Legimus enim: V, 19 οὑτωσὶ μὲν δή sqq. — ὅμως μέντοι γε καὶ ἐκ τούτων πειράσομαι. „μέντοι γε (quod hoc loco legitur) non multum differt a simplici μέντοι, tamen. Possis tamen certe reddere" (Hermanus ad Vigerum p. 839). Eodem modo particulae μέντοι γε conjunctae reperiuntur VI, 3. Cetera exempla invenies V, 86; VI, 18; 22.

Caput VIII.

De particula τοίνυν.

Postquam ante hos tres annos Rosenbergius in dissertatione: die partikel τοίνυν in der attischen dekas (cf. jahrbücher für classische philologie, herausgegeben von A. Fleckeisen 1874 p. 109 sqq.) etiam de eius particulae usu antiphonteo egit, facile quis putabit, supervacaneum esse, iterum eandem rem tractare. Sed quae homo ille doctissimus de Antiphonte dicit p. 113: „Bei Antiphon ist die partikel selten. in den sophistischen übungsstücken, den tetralogien, und in der ersten sehr verdächtigen rede fehlt dieselbe ganz, in der besten rede, der 5n, ist sie noch am häufigsten. Von besonderen verbindungen kann unter diesen umständen kaum die rede sein. Zweimal kommt τοίνυν vor hinter dem pronomen der ersten person ἐγώ und ἐμοί", haec verba, dico, omnia plus minusve mihi displicent. Primum enim non intelligo, quomodo dicere possit, in tetralogiis particulam τοίνυν non inveniri, cum ipse p. 110 dicat, illam legi Bβ 7 et Γα 7. Tum ne id quidem satis accurate dicit, particulam τοίνυν frequentissimam esse in or. V. Sane ibi ter et in or. VI.

bis tantum legitur, sed or. V. nonaginta sex, or. VI. autem quinquaginta unam paragraphos continet. Sed haec leviora sunt. Maxime vero offendo in his verbis: von besonderen verbindungen kann unter diesen umständen kaum die rede sein. Zweimal kommt *τοίνυν* vor hinter dem pronomen der ersten person *ἐγώ* und *ἐμοί*". Etenim res prorsus aliter se habet, et optime accuratissimum discrimen inter tetralogias et or. V. et VI. cognosci potest. In illis enim semper legimus particulas *μέν τοίνυν* conjunctas, in or. V. et VI., quae ne semel quidem illas particulas conjungunt, particula *τοίνυν* semper, non solum duobus illis locis quos Rosenbergius affert, cum prima persona conjuncta est. Quae res aliquo modo mira est; videmus enim, tetralogias hoc quidem usu propius accedere ad posteriorum oratorum usum, apud quos particularum *μὲν τοίνυν* conjunctionem usitatissimam esse testatur Rosenbergius (l. c. p. 114 sq.), quam orationes V. et VI. Exempla invenies: B*β* 7; *Γα* 7; V, 60; 66; 83; VI, 26; 31.

Rectius Rosenbergius de significatione particulae disputasse mihi videtur (cf. l. c. p. 118), atque de ea re prorus cum eo consentio.

Restat ut moneam, particulas *τοιγάρ*, *τοιγάρτοι*, *τοιγαροῦν* ab Antiphonte omnino non esse usurpatas.

Antiphon